Seligenstadt.
Prudentiá
rtitiá
Joh. Sal

Joh. Salver Sc. Herbip. 1707.

Ad Conventum Monacensem Ord. Eremit. S. Augstini.

NAVARCHIA
SELIGENSTADIANA.
seu
FUNDATIO
Antiquissimæ & Regalis Abbatiæ
SELIGENSTADIENSIS,
sub Patrocinio Sanctorum Martyrum
MARCELLINI & PETRI;
Illustrissimi & Antiquissimi Ord. S. Benedicti,
R
Congregationis Bursfeldensis,
In superiori Archidiœcesi Moguntinâ ad Mœnum sitæ.
Unà cum
GENEALOGIA,
seu Serie Reverendissimorum
DOMINORUM ABBATUM,
Usq; ad hodierna Tempora,
Ex Vetustissimo ejusdem Monasterii Chartophylacio & Archivo eruta,
&
EPICO CARMINE
descripta, à

R. P. JOANNE WEINCKENS,
Ejusdem Monasterii Professo Sacerdote Theologo,
PROTONOTARIO APOSTOLICO,
Et Sacræ Cæsareæ Majestatis
POETA LAUREATO, ac ibidem p. t.
PRIORE.

FRANCOFURTI ad MOENUM,
Typis *JOANNIS PHILIPPI ANDREÆ,*

M DCC XIV.

Civitatis BEATÆ dignitas est, non quod Metropolis sit, neque quod habeat ædificiorum magnitudinem aut ornatum, neque quod multas habeat columnas & porticus, & deambulationes: neque quod antè alias *Civitates* prædicetur; sed inhabitantium Virtus & Pietas, hæc est Dignitas, & Ornamentum, & tutela *Civitatis*: ità ut, si hoc desit, omnium sit vilissima, licet infinitum ab Imperatore consequatur honorem.

S. Chrysostomus

Serm. 17. ad populum Antiochenum.

Bayerische Staatsbibliothek MÜNCHEN

Author ad Momum.

Hæc si non placeat fors *Navarchia* cuique:
Quid tum? nec *Lector* fors mihi quisque placet.
Non sunt hæc *generis communis Carmina*: tantùm
His nam PRÆLATOS laudo, canoque MEOS.
Quisquis *Sanctorum* stomachosior oderit *Urbem*:
Hic *Navarchiam* non legat, oro, *meam*.

Reverendissimo, Eximio et Amplissimo Domino,

D. FRANCISCO BLÖCHINGER,

Ord. S. Benedicti in Abbatiâ Seligenstadiensi Congreg. Bursfeld. Abbati, SS. Theologiæ Doctori, Protonotario Apostolico, S.C.M. et Eminentissimi Electoris Moguntini in Spiritualibus Consiliario, Comiti Palatino Domino Temporali in Geisselbach et pagis adjacentibus,

DOMINO ABBATI SUO GRATIOSO

Offerunt, Dedicant,

Johann Stridbeck fecit, *Fratres Conventuales.*

Bayerische
Staatsbibliothek
MÜNCHEN

DEDICATIO.

REVERENDISSIME, EXIMIE & AMPLISSIME DOMINE, DOMINE PRÆSUL,

PATRONE PERQUAM GRATIOSE.

★ ★ ★

Nec pium, nec tutum est, Teste Gregorio Nazianzeno, *Pietate præstantes Viros silentio præterire*; Uti namque apertum arrogantis animi Indicium, propria facta jactare; ita ignavæ & ingratæ mentis est, immortalia Majorum merita perpetuo tumulare silentio. Cùm igitur *Patres nostri reliquerint Nomen narrandi laudes*, cur ignava taceat Posteritas, & glorioſa eorum Trophæa ad Solis non protrahat lucem? ut sic *luceat lux eorum coram Hominibus, & glorificent Patrem, qui in Cœlis est*: Maximè, cum Parentum gloria Filios etiam invitos, ad imitationem invitet; ut illis similes esse studeant, nisi degeneres turpiter audire cupiant. Et hæc, Reverendissime DOMINE, ratio me impulit, cur demortuos *nostros* dilaudem ABBATES, & præclara eorum gesta hinc inde lecta & selecta, publicæ exponam luci. Hactenùs *omnes Patres nostri sub nube fuerunt, & vita illorum abscondita*: Sed nunc clarum accendent Orbi diem, & perennaturâ ad Posteros splendescent memoriâ. Cùm enim inter eos plurimi fuerunt Viri im-

mortalitate digni, à Naturâ autem mortales, & à Morte tales; Ideò eos cantare volui, nè bis morerentur, Famâ ſcilicet & Funere: Eosque reſuſcito calamo, qui jam muti, mortuique ex communi Matris nos alloquuntur thalamo, ſcilicet tumulo; Et quorum oſſa, etiam ex Foſsâ, nobis optima dant vivendi Exempla.

Quod autem hæc *Abbatum Genealogia* Sinum & Manum GRATIOSÆ TUÆ DOMINATIONIS ambiat, cauſa eſt Quod juſtiùs offerri poterat nemini, quàm *Digniſſimo* tot DD. ABBATUM *Succeſſori*. TUÆ enim ſunt Divitiæ, quas produco: TUÆ ſunt *Dominorum Anteceſſorum* Dotes, quas in TE collectas ſplendidiſſimeque micantes, noſtrum aſpicit & ſuſpicit SELIGENSTADIUM. Nam cui potius iſta ſiſtatur lucubratio, quàm TIBI? qui eorum locum tenes *Quinquageſimus tertius* ordine Succeſſor, Meritiſſimus PRÆSUL; cui, inquam, potius hæc *Navarchia*, illuſtrans obſcura, innovans antiqua, reducens ſepulta ſiſtatur quam TIBI? qui ejusdem Abbatiæ ceu PRÆSES præſides, prudentiſſimus Rector, ſcientiſſimus Antiquitatis Æſtimator & Archivi noſtri Scrutator; Cui, inquam, ſiſtatur, quàm EI? qui Deceſſorum iſtic ABBATUM Geſta, ac omnis generis Virtutes, veluti in Theatrum orbi ſpectandas toti producit, & easdem imitari, ac in propriâ perſonâ imitari didicit, vivum aliis Exemplar factus; nam quæ

Inſunt aliis ſingula, cuncta tibi.

Fortunata, & verè URBS BEATA, & MACARIOPOLIS! quæ Virtutes in *defunctis Archimandritis* non illiberaliter diſperſas in unico FRANCISCO II. adoras redivivas. Hic namque pias priorum *Antiſtitum* vitas enarrat factis, adimplet Exemplis, reſuſcitat Documentis: Eorum ſplendorem, facit ſibi in Ornamentum: Gloriam, trahit in compendium: Perſonas omnes in ſuâ ſuſtinens, nec non prototypon ipſum, B. EGINHARDUM, in ſe ſeu Ectypo, adumbrans. Hinc non tam Audaciæ, quàm Fiduciæ

ergà

ergà TUAM GRATIOSAM DIGNITATEM, imputes, quod Opellam hanc NOMINI TUO inſcribam. In ipsâ namque Libri oſtendere volui fronte, quantas TIBI gratias deberem, quodque à TE *Patrono* & altero quaſi *Patre*, partus hic meus vitam hauſerit, ſicque ad *Gratiæ* ſinum rediret, quo favente & fovente, in publicam lucem prodit. Aureâ namque Beneficentiæ TUÆ Catenâ, totum me (nolens volens fateor) devinctiſſimum in TUA traxiſti Obſequia: utpotè, qui me ultra mea merita, etiam *uſque ad delicias amaſti*. Phyſiologi, per me licet, multa fabulentur de Magneticâ Lapidum Virtute, quod ferrum & Aurum adſe attrahere poſſint: At nulla efficacior, quàm illa Humanitatis TUÆ Virtus. Nimius ſim, ſi innumeros referam, quot, quantosque Eminentiſſimos *Archiepiſcopos*, illuſtriſſimos Sacræ Romanæ Sedis *Legatos & Nuntios*, Sereniſſimos *Electores*, Celſiſſimos *Archiduces*, *Duces*, Famoſiſſimos *Archiſtrategos*, *Campiductores*, *Comites*, & alia præcipua *Orbis Capita*, in favorem & æſtimationem, aureâ Humanitatis catenâ attraxeris. Homeri commentum eſt, Deorum catenâ Jovem fuiſſe attractum: TUA Comitas nuper ipſum IMPERII JOVEM, AUGUSTISSIMUM CÆSAREM CAROLUM VI. cum innumero *Auſtriacorum* & *Grandium Hiſpanorum* ſyrmate ad hoſpita attraxit Tecta. Gratioſum hunc Magnetismum ſentiunt non tantum Domeſtici, ſed & omnes Advenæ externi: adeò, ut paſſim dictitent, apud TE, plus quàm *Tres* habitare *Charites*; ipſa namque vultûs TUI effigies (ideò ea Libri præfixa eſt Frontiſpicio) ceu vivum Animi theatrum, meras gratias loquitur, quod omnes experiuntur, qui TUO fruuntur alloquio: Serenâ namque & candidâ *fronte* oſtendis, TE omnibus benè velle; *Manu* beneficâ, omnibus TE benefacere; verè utrimque *Gratioſus*. Thavmaturga Manuum TUARUM Opera libens enarrarem, ſed ſcio, laudanda mavis facere quàm laudari, ideò *manum de tabulâ*: Auguſta

 enim

enim Acta TUA, quæ toto glorioſi Regiminis TUI tempore, in Octodecimum jam uſque egiſti annum, anguſta hæc non capit tabula: Nec *mihi ſi centum linguæ, ſint oraq; centum*, ea condignè referre poſſem; Quot enim annos vivis, tot nova TIBI ſecuturæ Immortalitatis Trophæa erigis, ſed ea cælis, non chartis inſculpenda relinquis.

Præſens igitur Opuſculum, *Gratioſe Domine*, ad Abbatiale ſolium TUUM omni jure appenſum, & adhuc à recenti ortu trepidum, adversùs mordaces invidorum Momorum dentes, GRATIOSO Nominis TUI Auſpicio defende; Brevem hunc PRÆSULUM noſtrorum ſyllabum gratiosè accepta, &, quâ beneficâ manu eduxiſti in lucem, ad oculos TUOS admitte: Ut, quam à ſe non habet, à DIGNITATIS TUÆ luce, mutuetur ſaltèm Majeſtatem. Quodſi fiat, ut nullus dubito, meæ reciprocè obligationis erit, TIBI Longævos, ſeros, florentesque perenni proſperitate Annos, & aurea Saturni Secula à DEO orare, & exorare. In quo voto uſque ad ſacros cineres perenno, & morior

REVERENDISSIMÆ GRATIÆ TUÆ

Ità
In Ipsâ DIe beatIssIMI patronI
FRANCIsCI ASSIsIATIs.

obſequentiſſimus Filius & Cliens infimus,

F. JOANNES WEINCKENS,
p. t.
Prior indignus.



ALLOCUTIO PROSPHONETICA,

ad

Candidum & Benevolum Lectorem.

* * *

CUm, Tacito teste, *præcipuum Annalium munus sit, nè virtutes sileantur:* Hinc, *Candide Lector,* fateor candidè, quod confidam, nullum, saltèm sanæ mentis, mihi vitio vertere posse, quod juxtà sapiens Ecclesiastici Consilium, *laudem viros glorioſos, & parentes* i. e. ABBATES; *Homines magnos virtute, & prudentiâ.* Etsi enim eorum, qui Virtutibus claruerunt, tanta sint merita, ut ea nulla, etiam præclarissima, sat queant laudare ingenia: Quia tamen, laus mortuorum est quasi quoddam semen, quo Filiorum Virtus vel haurit succum, quo vigeat; vel vim accipit, quâ Patrum vestigiis insistat; Ideò præsens Opella Orbi communicatur Literario, ut succedanei saltèm Abbatiæ nostræ Filii Exempla Patrum, ceu tersissima probatæ Vitæ specula inspiciant, & secundùm eadem vitæ suæ Normam & Formam instituant. Et hoc fuit, quod Tullius suo præcipiebat Oratori: *Quilibet, saltem è nostris, cognoscat rerum gestarum & Memoriæ veteris ordinem, maximè autem nostræ Romanæ* (ego dico, BEATÆ) *Civitatis.* Sed fortè quis inemunctæ naris, Monachorum Osor dicet: *à multis Prælatis, sui statûs oblivioſis, plura Capitula & Asceteria fuisse turbata.* Huic replico: Verum esse, quod multa vitia sint ubique, nec ullum vitæ genus, quod Emendationem non requirat. Idcircò si crimen in quibusdam reperiatur, id Hominis esse, non Professionis; Unius autem, vel alterius noxa non damnat omnes; Quod individui Hominis, non trahendum ad plures. Si Miles unus deficit & transit ad Hostes, an ideò infidelitatis reliquos argues Strenuos? Sin aliquis Senatorum nefando se contaminet furto, an ideò totus infami crimine infectus erit Senatus? Absit, dicis, & benè: Ex talium namque delinquentium factis & actis gravius detrimentum

aliquod

aliquod non patitur Capitulum aut Aſceterium, quàm ex Judæ proditione Collegium Apoſtolicum. *Vitia namq; erunt* (ut aït ille apud Lipſium l. 4. de Magnitud. Rom. c. 2. *donec Homines : Sed neq; hæc continua, ſed meliorum interventu penſantur.* Nulla namque extiterunt tempora, *ait S. Aug. de civit. Dei.* Quæ Viros illuſtres non habuerint, qui ſicut Cælum ſole illuſtratur, ſic ipſi ſua tempora ſplendore Virtutum illuſtrarent. Criticus alius fors Ariſtarchus, cujus Natura in crimen vocare omnia & approbare nulla, objiciet: *Quod largâ nimis utar licentiâ Poëtica, dum nativi Monaſterii PRÆSULES, ampullatis adeò extollam laudibus & plauſibus.* Sed quis, dic ſodes, omnibus in omnibus placuit? Nemo. Nec ipſe quidem Theogni DEUS: Qui, ut alius poſteà cecinit: *Nunc pluit, & claro nunc Juppiter æthere fulget.* Res lippis quippe & tonſoribus nota eſt, quod nec æquiſſimus rerum geſtarum ſcriptor omnibus ſatisfecerit unquàm, ſed aliquos ſemper offenderit. Si enim mortuorum merita extenuem, jam, probè ſcio, aliquorum odia incurram; quia non deerunt, qui pro ingenitâ ſibi criſi me invidiæ accuſabunt, aut imperitiæ; quod neſciam Majorum merita majoribus efferre verborum paraſangis. Sin autem, egregia & regia eorum geſta nimis amplificem, En! iterum multis bilem commovebo, & me factioſis & nimis ſuperbis judiciis adulationis accuſabunt, certoſque candidæ Veritatis limites ambitioſis exceſſibus tranſilire dicent. Sed *medium tenuêre beati*, & *Eſt modus in rebus, ſunt certi deniq; fines: Quos ultrà, citroq; nequit conſiſtere rectum.* Hinc ego aureæ Mediocritatis ſequar modum, & omnia pro modulo meo ità exprimam, ut omnium evitem invidiam; Niſi fortè, præter opinionem, talis eſſet hujus libelli futurus Lector, qui eò veniſſet imprudentiæ (nè dicam impudentiæ) ut, quod de aliis boni audit, id ſibi ſoli detrahi, vanâ & veſanâ imaginetur ſtoliditate. Sin aliàs cuidam in particularibus enarrandis nimis videar eſſe brevis, is ſciat: Quod ex Archivio noſtro plura erui non potuerint, quia Majores noſtri, veteres illi & antiqui Patres, facere optima, quàm ſcribere magis fuêre ſoliciti, de Hiſtoria ſua adornanda, digerendiſque Annalibus parum admodùm cogitabant. Si denique ob humilem cothurnum displiceam, oppono illud:

Majores majora ſonent, mihi parva locuto
Sufficit, in laudem cedere cuncta DEI.

Vale Lector, & fave.

FACUL-

FACULTAS

Reverendiſſimi & Illuſtriſſimi Domini Præſidis Sacræ Congregationis Burſfeldenſis.

NOS FLORENTIUS Dei & Apoſtolicæ Sedis gratiâ, liberæ & Imperialis Eccleſiæ Corbejenſis Abbas, S. R. I. Princeps, Sacri Ordinis Benedictini Congregationis Burſfeldenſis per Germaniam PRÆSIDENS PRINCIPALIS &c. *Tenore præſentium facultatem concedimus, ut* NAVARCHIA SELIGENSTADIANA, *ſeu* GENEALOGIA ABBATUM SELIGENSTADIENSIUM, *à prima fundatione usque ad hæc tempora, à* R. P. JOANNE WEINCKENS, *inclyti Monaſterii Seligenſtadienſis* Priore, Protonotario Apoſtolico, & Poetâ Cæſareo Laureato *inſigni ſtudio concinnata, præviis Virorum Doctorum approbationibus, ſervatisque aliis ſervandis typis evulgetur.* In quorum fidem, *præſentes manu, ſigilloque noſtris munitas dedimus*, Corbejæ in Reſidentiâ noſtrâ. 2. Febr. 1172.

FLORENTIUS. L.S.

Licentia & Approbatio Theologica *Reverendiſſimi D. Abbatis Seligenſtadienſis.*

ATtentè pervolvimus NAVARCHIAM SELIGENSTADIANAM, *ſivè*, GENEALOGIAM ABBATUM ibidem, ab Admodum R. P. JOANNE WEINCKENS, Profeſſo & PRIORE noſtro, PROTONOTARIO APOSTOLICO & POETA CÆSAREO LAUREATO, compilatam; Atque in eâdem non tantùm ſingularem Authoris diligentiam & inſigne ſtudium deprehendimus, ſed & nihil omninò vel Sacroſanctæ Eccleſiæ, vel bonis moribus contrarium, offendimus. Proindè non tantùm licentiam damus, ut publici juris fiat, ſed & eandem, Vigore præſentium Approbatione Theologicâ cohoneſtamus, Quæ data ſub manu & Sigillo noſtro. Ex Abbatiâ noſtrâ 20. Febr. 1712.

FRANCISCUS, ABBAS
in Seeligenſtadt. L.S.

AGGRATULATIONES *QUORUNDAM AMICORUM,*

Plurimùm Reverendo, Religioſiſſimo & Clariſſimo D. Authori factæ.

I.

Ad Navarchiæ Seligenſtadianæ Lectorem.

ALma *Beatorum ſtatio*, quo ſplendeat ortu
Natalemve cui debeat illa ſuum?
Quàm fuerit variis *Ratis* hæc agitata procellis,
Quid tuleritvè mali, præſtiteritve boni?
Qualibus et quantis, per tot jam ſecula Mitris
Fulſerit? hic docto Carmine, *Lector*, habes.
Authoremnè cupis? *Rhenana Colonia* lucem,
Mœnus & EINHARDI Clauſtra dedêre larem.

Promeritam *Laurum* CÆSAR, *Palmam* inclyta Virtus
Donârunt; *Plauſum* Zoilus ipſe dabit.

eX asCeterIo
CaMpIDonensI.

Honori veteris Amici & apud Ubios Condiſcipuli
f.
JOANNES PETRUS PAGEN,
SS. Theologiæ & J. V. Doctor, Protonotarius Apoſtolicus, Celſiſſimi Principis Campidonenſis Secretarius & Capellanus Aulicus.

II.

MAntua *Virgilio* gaudet, lætatur *Homero*
Græcia: Pelignis gloria *Naſo* manet.
Sic ovat & de TE ter SANCTA COLONIA: * Pindi
Dùm toties undis TE fluitare videt.
Errant, qui dicunt nullum ſupereſſe *Maronem*:
Tu novus es *Moganis*, *Ubiacisque Maro.*
Sic eſt: à teneris TU *Laurum* ſemper amaſti;
Deliciumque TUUM frondea *Laurus* erat.
Sacris TE Lymphis LAURENTIUS ** abluit: *ejus*
Gymnas at Aoniis TE madefecit aquis.
Et Tua *Pierio* redimivit tempora *Lauro*
CÆSAR: *Teutonici* JUPPITER ille *poli.*
Ut ſacra frondeſcit *Laurus*, ſemperque vireſcit:
Sic TUA Laus, Honor & Fama perennis erit.

Ità *CoLonIæ In Ipſo DoMInI AVthorIs nataLI feſto.*

Hoc intemerati cordis monumentum,
Eximio D. Authori, Amico integerrimo, *erigebat*
J. C. C. P. S. L. *SS. Theologiæ Licentiatus.*

III.

ACta & facta Patrum, *quæ quondam plura per æva*
Mitrigeri Abbates *Clauſtri* (*quod in* URBE BEATA
Usque hodiè floret) *magnâ cum laude patrârunt,*
Plorabant abſconſa diu, velutiq; parente jacebant
Orba: Sacer Phœbi, Lauroque *decore* Sacerdos!
Pandis operta ſagax, longisue incognita ſeclis
Eruis è tenebris, ſortem miſeratus iniquam.
TU, Decus o Vatum! *cui mens, amor artus, & ingens*
Pectus avens ſtudiis inflammavêre ſacratum,
In lucem profers, Virtutum exempla daturus.
Sed quæ pro tanto dabitur tibi, quæſo, *labore*
Merces digna ſatis? Tua Fama *virebit in æva:*
Dumque canis MAGNOS *adeò* PATRESque VIROSque:
Poſteritas MAGNUM TE *ſciet eſſe* VIRUM.
Plurimum Reverendo & Eximio Navarchiæ hujus *Authori*,
Amico & Fautori ſuo Venerando,
Hæc pauca adſcribebat
C. T. M. Canonicus W. & Poëta Laureatus Cæſareus.

IV.

DAt *Natis* aliàs *vitam Pater:* ordine verſo
Sed TU *das Vitam Patribus* eccè *tuis.*
Nè *Mitratorum Procerum* fors acta perirent,
Illorum laudes colligis atque canis.
Et ſic *Majorum* revireſcit gloria *Patrum*,
Abdita quæ tenebris multa per æva fuit. Dùm

* *Coloniæ natus.* ** *In Parochiâ* S. Laurentii *baptizatus & in ejusdem* Sancti *Gymnaſio ſtuduit.*

Dùm sic *Abbatum* vitas ac gesta recenses,
Vivere defunctos denuò nonnè *facis?*
Pergito! posteritas TE sic *Abbatibus* addet:
Cumque tuo illorum nomine nomen erit,

ità

VIRO PEREXIMIO ET SUMME VENERANDO,
Cassini Seligenstadiensis Priori, καλάμῳ πλεφδεντι
P. Gratulabundus
FRIDERICUS CHRISTIANUS CREGUTUS,
Medicinæ Doctor & Publicus Professor, S.R.I. *Academiæ Nat. Curios. Collega*, MARCELLUS *dictus*, *Abbatiæ Regalis Seligenstadianæ Archiater*, *& utriusque Hanoviæ Physicus.*

V.

NUnc *Seligenstadium* gaude! nunc URBSQUE BEATA
Plaudito! namque Maro te novus hiccè *beat.*
Hactenùs URBS, fateor, TU dicta BEATA fuisti:
Sed fueras præter Nomen inane nihil.
Ast modò gaudeto! verè rediviva resurgis,
Et pretium famæ non morientis habes.
Nam dum PRÆLATOS, ABBATES atque *Mitratos*
Defunctos laudat, claraque gesta refert
Aonidum immortale decus, PRIOR atque Poeta:
Suscitat ex tenebris TE, mihi crede, tuis.
Magnum erat è nihilo Tua Condere Moenia: plus est
Extinctam TE iterum restituisse TIBI.
Sed quid Fama VIRO tanto, quid, quæso, BEATA
URBS reddes, scriptis tot celebrata piis?
Semper honos ejus, tanti celebrisque Poetæ
Gloria florebit, lausque perennis erit.

sIC *DeVotIssIMo affeCtV* apponebat
Plurimùm Reverendo, Eximio & Religiosissimo P. PRIORI,
Domino suo Conterraneo suavissimo,
R.P. ÆMILIANUS NOLPE, *Professus ibidem & parochus in Steinheim.*

VI.

GRatulor ex animo, *Phœbi* venerande *Sacerdos*,
Pieridumque deeus! TE *fabricasse* RATEM.
Composuit TUA Musa *Ratem*, quodque auguror illi:
Aurea, quæ statuit Vellera, Colchos erit.
Non ebur, aut gemmas, *Ratis* hæc aut devehit Aurum:
Mercibus est aliis hæc sed onusta *Ratis.*
Dùm *Prælatorum* nam facta domestica narras:
Instruis Exemplis, erudis atque TUOS.
Dum laudas alios, aliis laudaberis olim:
Qui TUA gesta sonent, & TUA facta probent.
Posteritasque TUOS latices celebrabit & undas:
Phòcidis æternæ dùm memorantur aquæ.

ità

adgratulari intimis ex animis voluit Plurimum Reverendo & Eximio Domino,
D. PRIORI,
Amico & Fautori suo Colendissimo,
R.D. JOANNES KRAUSS, Sacellanus in Steinheim.

VII.

I perge *Navis*! quia ſecundo omine *Ratis*
Urbis beatæ nominaris: per *Mare*
Nunc univerſum flamine beato fluis,
Et *Vela* fauſtis *explicas ventis* data.
Non Monſtra metue, non Syrtis vada,
Altasve ſcyllas: Curre fortiter! quia
Non imperitus Artis, *ad Clavum ſedet*
Famoſus *Argonauta*, *Navis Arbiter*,
EINHARDUS ABBAS: non graves injurias
Finge tolerandas *Zoilorum* fluctibus.
Sed glorioſa *pernatabis* circulum,
Crede, univerſi: geris enim res aureas,
Auroque longè rariores: devehis
Cyanos, *Smaragdos*, *Margaritas*, *Jaſpides*:
Non, quos abundans opibus eructat tumens
Ganges; vel auro ditior egurgitat
Medis Hydaſpes: pulchriores fers tuâ
Alvo Lapillos: PRÆSULES *claros Pedo*,
Et *Infulatos*: Capita digna Laureâ.
Perge *Ratis*! En! tibi patet, ubi voles, Mare.
Incide funes, & *Rudentes ſolvito*,
Impelle Remos, *Anchoram ſacram leva*,
Felix abito! ſcio, *beatos* influes
Portus: Celeriùs perge, per *Pontum vola*,
Fluctuſq; ſcinde, carbaſisque tempera!
Sed *Fabricatoris Tui* ſemper memor
Eſto JOANNIS: Qui *Coloniæ* quidem
Natus: *Beatæ* nunc ſed *urbis eſt* PRIOR,
Per plura luſtra: *Pileo Notarii*
Apoſtolici quoque decorus eminet.
Effare doctum hunc Delium, cujus *comæ*
Virente Lauro CAROLO ſub CÆSARE,
HISPANIÆque REGE præmii loco
Jam ſunt *decoræ*: Spiritum dic igneum,
Mores modeſtos, & probam vitam cane:
Quâ (ſicut *Egregium* PRIOREM condecet:)
Plures per annos jam ſuis ſemper præit
Laudabiliter: *Iſtum Virum* canta novo
Victrice dignum præmio: Præmia dabit
Decora Fama: *hUIC gLorIaM DabIt poLUs.*

Ità

Plurimum Reverendo, Eximio & Religioſisſimo

ſuo PATRI PRIORI,

Submiſſiſſimo Affectu gratulabundus Venâ gracili accinebat

F. BONAVENTURA CRAFFT,

Profeſſus Seligenſtadienſis.

FUNDA-



FUNDATIO ABBATIÆ SELIGENSTADIENSIS.

* * *

Urſiadum Proceres, Mitraque, pedoque coruſcos
Archimandritas, *Abbates*, atque ſacratos
Quos, & quot numeret Patres, per ſêcla novena
Macariopolitana Ædes, *Urbs* ſivè *Beata*
(Cûi quondam notum *Salagaſti* fabula nomen
Dicitur impoſuiſſe: Sed irreprehenſa Vetuſtas
Arguit errantes; quæ proſperioribus uſa
Auſpiciis, veteri mutatâ voce, *Beatis*
Cælitibus MARCELLINO, *PETRO*que ſacratis
Martyribus, quos Roma iſtis transmiſerat Oris,
Hanc laudem tribuit, Nomenque hinc indidit Urbi)
Quot Patres, inquam, dederit, tuleritque Mitratos:
Nunc breviter referam, veterum memorabo Parentum
Hiſtoriam, monumenta prioribus abdita ſêclis,
Priſcaque facta Patrum ſero memorabo Nepoti.
Filius eſt etenim *ſapiens*, ſi *gloria Patris*,
Ut nos Scripturæ ſat nota volumina ſacræ
Erudiunt, ingens cur non quoque gloria nobis,
Nobilibus proavis, & fulgere luce Parentum,
Ac fortunatos oſtendere poſſe Penates,
Inſignes pietate Viros? queîs Laurea centum
Serta caput, totidemque exornant luce coronæ.
Non Faſtos igitur veteres, nec facta Quiritum,
Nec placet Annales aliorum audire Virorum:
Namque domi eſt, quodcunque cupis: non vana ſupellex,
Non viles animæ, non plebs Virtutis egena;

Lumina ſed Moganæ Patriæ, Clauſtriſque Columnæ,
Ordinis Anicii ſtellæque, Faceſque, Baſeſque
Herculeæ. Quis enim referet, dic quæſo, ſtupenda
Unius *EINHARDI* merita, aut celebrabit honores
Dignè? Quem Virtutis honos, & Adorea laudis
Ambiit, & veteres retulêre in Secula Faſti.
Nam Præceptor erat *CAROLI*, Morumque Magiſter,
Ingens Prodigiumque Orbis: cui Copia cornu
Doctrinæ & Virtutis opes laxavit aperto.
Hinc dictus *Sapiens*: etenim, quis nobile pectus
Illius ignorat? ſana & matura quis ejus
Conſilia evolvens, Diæ conamina mentis
Digna cedro haud ſtupeat? cui non Germanica tellus
Conſiliis habuit ſimilem: Sapientior illo
Non Crantor, non ipſe Solon, non ipſe Lycurgus,
Aut Jovis interpres, Minos. Seges ampla, novæque
Res foret Iliados, ſin cuncta æquare canendo
Facta velim: Vix hæc ſtimulatus Apolline toto
Vel Maro, vel magnus verbis æquaret Homerus.
Atque ideò carptim, non ſingula quæque, ſed ipſam
Rerum geſtarum propero percurrere ſummam.
Vos ergò *Abbates*, cæli quos inſerit aſtris
Virtus, conſiliiſque vigens prudentia ſolers,
Laude perennanti qui continuâſtis habenas
Clauſtri; Qui meritis, ſolis per utrumque cubile
Splendetis, faciles, pronique eſtote canenti.
Ergo mirifico tantarum in munere laudum,
Tu mihi, *CHRISTE*, fave, noſtriſque laboribus adſis.
Phœbe vale, valeant & inania Numina Pindi:
Non Helicona mihi cupio majora canenti
Pandere Pierides: Non Te Permeſſidos unda,
Nec ſacros opto latices, fictoſque liquores:
Sed *TE*, *CHRISTE* voco: *TE* ſolum noſtra precatur
Muſa; ut ſuſceptum mecum currendo laborem,
Sis Pharus ac Helice, & fidus medio æquore Rector.
Magna mea eſt, fateor, dementia: Carmen agreſte
De tantis cantare viris: Sed parce furori,
Lector Amice, pio: mea nec præſumptio te te
Exagitet: ſed dum tenui celebrare Camænâ
Sedulus hoſce Viros attento Poëta puſillus;
Annue ſollicito (rogo ſic, ſic obſecro) Vati,
Officioque pium devoto impende favorem.

Tempus

* * *

TEmpus erat, quo *Pipini* fortissima proles,
Et *Divus* Princeps *Francorum* stirpe *Monarcha*
Prognatus *CAROLUS* (quo non Augustior alter
Nec pietate fuit, nec bello major & armis,
Hinc & promeruit *Magni* cognomen habere)
CAROLUS hic, inquam, decus immortale Coronæ,
Teutonico primùm veniens de sanguine Cæsar
Maximus: & belli Fulmen, formidoque Mundi.
Ille Triumphator fortunatissimus Orbis
Saxonas indomitâ nimiùm feritate rebelles,
Belligerosque Hunnos, jam sæpè subegerat armis:
Sed magis ut *CHRISTI* (qui Tempora condidit) ortu
Tempora distinguas: Octingentesimus ibat
Bis decimusque Annus, *Mogono* sub *Præsule* magno
Hâistulpho: *Eugenio Papâ* regnante *Secundo*;
Tunc, inquam, *EINHARDUS* Divûm succensus amore,
Ad Mœnum in *Mülinheim* (quondam sic prisca vocabat
Ætas Oppidulum, quod nunc *URBS* sivè *BEATA*,
Seu *Seligenstadium* vulgari voce vocatur)
Magnifici nostri ponit fundamina claustri:
Construit, ædificat sacrataque culmina Templi,
Et superimpositas elato vertice turres,
Saxorumque struem: sacras longo ordine cellas
Erigit his, qui sponte suâ, strepitu procul omni,
Qui solet insanos Mundi turbare ministros,
Hìc se concludunt: Quos post tua signa, sacrate
Ire jubes *BENEDICTE PATER*! Cœlumque mereri.
Sanguine conspicuos, morum probitateque claros
Advocat ergò Patres *Cassini* è vertice Montis,
Genteque *Nursiadum*: assiduis qui laudibus omni
Nocte dieque *DEUM* celebrent, & cantica summis
Decantent superis: queîs nullum parvè, priusvè
Regnat in Orbe Caput: quo gaudet Præside Mundus,
Quem Populi, quem Regna timent: Quem Solis ab ortu,
Solis ab Occasu submisso vertice cuncti
Suspiciunt: Dominumque simul, Regemque fatentur
Cuncti Terrigenæ. Superis studiosiùs, ast ut
Hi servire queant, amplis proventibus ornat,
Redditibus dotat, Mansos ac Oppida donat.
Nec stetit hìc Pietas & Munificentia: Verùm
Ut Divûm Famuli, Monachi ferventiùs uni
Deservire *DEO*, propriæque vacare saluti

Commodiùs valeant, poſſintque: ipſiſſima Conjux *
Cæſaris, *EINHARDO* Cimmelia Regia cuncta,
Gemmas, ac Cyanos, Amethyſtos atque Smaragdos,
Chryſolitos, Oniches, muliebrem denique totum
Offert Ornatum, indumentaque Regia confert:
*Rex*que *Ludovicus* **, cui verè nomen avita
Sêcla dedêre *PII*, ſuperaddit prædia lauta,
Juraq; largitur *Regalia* plurima: ut indè
Uſque hodiè *Regalis* & *Abbatia* vocetur.
Clauſtro fundato, & modico poſt iſta ſequentis
Temporis elapſu: graviter decumbere morbo
Incipit *IMMA*, jacetque thoro ſine viribus, ægra:
Illius & fractæ langueſcunt Corpore vires,
Inque dies aliquid valido de corpore cedit.
Nil operæ proſunt, curæque, manuſque medentûm:
Admovit fruſtrà medicas Epidaurius herbas,
Nec cumulata juvant magnis Altaria donis.
E facie color omnis abit, dominatur ubique
Pallor, & exiles corpus tenuatur in artus:
Ut cum Purpureos amittit Flora colores,
Altaque formoſis transactâ ætate, ſequente
Nimboſo Autumno, viduatur frondibus Arbos.
Frontis livet ebur, flacceſcunt lilia & oris,
Lactea membrorum ſpecies, ridentis ocelli
Blandities perit: & miſeros vix ſuſtinet artus
Spiritus: in roſeiſque natat Mors pallida labris;
Nam ſtatuente *DEO*, ſuperiſque jubentibus, *IMMÆ*
Venerat atra dies & ineluctabile Fatum;
Vitæ ut poſtremam tandem pia clauderet horam.
Adſtans *EINHARDUS* ſingultit pectore, & illam
Commiſcens precibus lacrymas, lacrymiſque dolorem,
Sic flens affatur: Tecum mihi, *CHARA*, liceret
Ah! utinam finire dies, & cedere vitâ:
Nulla mihi ſine Te ſolamina, nulla voluptas
Rebus erit: Tecum pereunt mea gaudia: Tecum
Omne levamen abit, ſine Te ſuſpiria tantùm,
Singultus, gemitus, lamentaque ſola ſuperſunt:
Te ſine, vita mihi præſens erit ipſa ſepulchrum.
Hæc fatus: fletûs mox ecce dolore fit impos,
Incumbensque ſuper, lacrymis rigat ora ſupremis:
Caſtos amplexus geminans, tremebundaque figens
Oſcula,

---

* *Judith Imperatrix.* In indice Diplomatum in fine vide *Litteram* B.
** *Vide in fine* Litt. *A.*

Oſcula, ſemîanimis collo ſuſpenſus inhærens,
Menè *Soror* linquis? Vitâ mihi charior ipsâ,
Vociferans. Aſt *IMMA* elanguida tota jacebat,
Ceu Roſa marceſcens: quæ nullis hispida ſpinis
Emoriens pulchrùm ſucciſa jaceret, in altum
Inclinata caput tumulum; poſt funera odore
Major, & æterno floreſcere digna nitore.
Hæcce videns *EGINHARDUS*, queruloſus amaro
Sic animo alloquitur Mortem, Parcaſque propinquas
Adſtantes, vitæ ſubtilia fila ſecantes:
Siccinè Mors crudelis & invida præripis *IMMAM*,
Quæ fuerat Thalami decus immemorabile noſtri?
Nec prece, nec pretio mors ergò cruenta moveris?
IMMÆ ah! parce meæ; teneræ, rogo, parce juventæ:
Parce Roſæ violare decus: Mors improba falcem
Pone, nec hanc roſulam, rogito, ſuccidito pulchram;
Cæſaris hæc ſoboles, *CAROLI* nam *Filia Magni*,
Eſt thalamo ſociata meo: mihi ſtirpis avitæ
Unica ſit ſaltem ſoboles, ac Regia Proles:
Nè ſtirps progenie illuſtri viduata fatiſcat.
Hæc ille: at ſurdâ Mors excipit aure loquelas,
Ullis nec precibus truculenta hæc Larva movetur,
Sed Regum & Reginarum Regina triumphat.
Mors igitur nigris *IMMAM* circumvolat alis,
Intentatque minas, & in illam dirigit arcum.
Hinc mox dentis Ebur, vultûs duo Lumina, Soles
Elanguent, ſenſimque oculorum lumina torpent:
Frons rigida expallet, quæ, neſcio, Funera plorat
Triſte ſupercilium: quoque mox Aquilinus inhorret
Naſus, & exalbet quaſi acuto frigore ſtrictus;
Labra incana fugit, fugit & ſua purpura Malas,
Totaque Regalis Majeſtas migrat ab illâ.
Non ſecùs, ac fractos declinant Lilia culmos,
Decuſſæque Roſæ rigidos moriuntur ad Auſtros;
Aut ubi verna novis exſpirat Tulipa campis.
Dum loquor hæc: gelidis en! ſerpit lurida labris
Atropos: indè labat cervix & brachia pendent,
Et manus & facies, ſceleton, umbramque loquuntur.
Verbo: *AUGUSTA*, Auguſti * obiit Titane ſecundo,
In *CHRISTO* & placidè finivit tempora vitæ.
Extinctam luget tùm Plebs, tùm Cæſaris Aula;

* *Secundâ Auguſti adhuc hodiedum ejus hìc celebratur Anniverſarium. Mabillon ait, Immam non deceſſiſſe ante Annum* 837.

Orbus at *EINHARDUS* peramarâ voce gemiſcens,
Exclamat : Fata ah ! Thalamo vos invida noſtro.
Eheu ! quàm tenui pendent Mortalia filo.
Ergò *IMMA* heu ! raperis primævo tempore vitæ,
Et Vere in medio decuſſo flore, fetellit
(Quæ magnæ in meſſis ſpem ſeſe erexerat) æſtas?
O dolor! O luctus ! Mors improba, ſæva, Ducumque
Atque *IMMÆ* Latro ! Monſtrum inſatiabile, dirum,
Exangue, exſuccum, crudele, immite, quid audes?
Ergò jaces? ergò triſtiſſima Mortis imago
Obruit hanc *IMMAM?* noſtrâ quæ nuper in Aulâ
Ceu ſol fulgebat : roſeus color interit ergò?
Quò mea ſpes abiit? quò nunc tua forma receſſit?
Ite oculi in lacrymas, vox in ſuſpiria crebra!
Nunc ubi frontis ebur reſidet, totoque renidens
Ore, geniſque Lepos, ſpecioſi & gratia vultûs,
Luminaque Eoi rutilas ſuperantia gemmas
Æquoris, & gravitatis honos, Charis atque genarum,
Cervicisque nives, Labiorum Purpura & Oſtrum?
Sic eſt: *Cunctarum Mors ultima linea rerum.*
Funus proſequitur lacrymis, multoque dolore
Deplorans, *IMMÆ* lamentis uſque parentans:
Fletus ac gemitus alto de corde petitos
Edidit haud aliter : quàm cum triſtiſſima Progne,
Triſtem plangit Itym : vel quando Cäyſtrius Ales
Deficiente ſuum deplorat gutture funus.
Inter at innumeras lacrymas, crebraſque querelas,
EINHARDUS lugens tandem ſic ipſe jacentem
Alloquitur, tales protrudens pectore voces :
Magna *IMMA*! æthereum quam ſuprà evexit Olympum
Æternus Genitor, ſolioque locavit avito:
Da faciles threnis aures, nè ſubtrahe vultum,
Nænia funereos mea dum perſolvit honores,
Et buſtis extrema tuis Epicedia cantat.
At quinam gemitus, vel quæ lamenta dolori
Sufficient? claros cineres quæ Præfica abundè
Perfundet lacrymis? *O Filia Cæſaris IMMA*!
Ergò extincta jaces? moreris ſic optima Conjux?
Quæ Divûm invidia, aut quis Te mihi caſus ademit,
Plùs oculis dilecta meis? me ſiccinè ſolum
Liquiſti Tædæ, Thalamique oblita jugalis?
Ergò jaces! ah *IMMA* tuo citò rapta Marito?
Heu miſeranda mihi auſpiciis conjuncta ſiniſtris!

Impia

Impia cur teneros, O Mors, disjungis amantes?
IMMA jaces! vivo contrà mea vota ſuperſtes:
O ubi ſpes, ubi votorum menſura meorum?
O caput Auguſtum, noſtri capitisque Corona,
Cor cordis, mea Spes, mea Lux, mea ſola Voluptas!
Quid nunc collaudem ſummum Pietatis amorem,
Et mentem cælo dignam? quo jam *IMMA* ſoluta
Corporis involucris, frueris ſine fine beata?
Heu! nunc præda jaces mortis: quâ ſoſpite ovabam
Toto animo, cælumque manu captare videbar.
Sed quia ſic Superis viſum, Tu pergito felix
Ad Superos *IMMA*! ac Mundi te ſolvito curis,
Æternumque valeto mihi. Sic fatus: obortis
Os implet lacrymis, ſimul & flet cætera Pubes.
Sed quorsùm Lacrymæ? non hæc ſine Numine Divûm
Eveniunt: omnes metam properamus ad unam,
Seriùs aut citiùs: ſupereſt hæc ſemita Lethi
Infelicis Adæ calcanda Nepotibus unà
Omnibus: hanc ſummi juxtà ingrediuntur & imi,
Cras, Hodiè: quâcunque vocat *DEUS* Arbiter horâ.
Parce piis igitur lacrymis *EINHARDE*! nec ultrà
Cum gemitu, raptæ tam charæ Conjugis *IMMÆ*
Morte ſuper, juſtas quamvis, effunde querelas.
Sat vixit, quicunque *DEO*, Patriæque, ſibique
Vixit: multa brevi conſummans tempora curſu.
Omnes fata manent, & Eam quoque fata manebant;
Erro tamen: non hanc rapuit Mors, Vita perennis
Eſt ſed ei Superos inter, mens candida ſummo
Nunc ſociata bono: Vivit poſt funera Virtus
Ejus & æternum pariet per ſecula Nomen.
Mœnia nam donec Mœni noſtræ unda *Beatæ*
Alluet hìc *Urbis*, donec Prænobile clauſtrum,
Auguſtasque fores Templi, immaneſque columnas,
Angelicam ac *Turrim* Mogi præterfluet Amnis:
Tamdiu honos *IMMÆ*, Nomen, laudesque manebunt,
Inque *IMMÆ* tumulo laus hæc inſcripta legetur: *
IMMA en! Cæſareæ columen memorabile ſtirpis.
UXOR EGINHARDI. Reginarumque Corona.
ALTERA FUNDATRIX Clauſtri hujus in *URBE BEATA*,
Totius Orbis Honor. *CAROLINÆ GLORIA GENTIS.*
Hiccè ſepulta jacet: Superis nunc vivit in oris.
Quòd Vitam in terris ageret ſibi mortua. Felix

Nunc

* *Epitaphium Immæ.*

Nunc vivit ſummo, quem ſemper amavit, Olympo.
Pergit at *EINHARDUS* mox ſic ſubjungere: poſtquam
Nunc *IMMA* aſtriferâ reſides ſublimis in Aulâ,
Et ſecura Tui es: ſi *TE* mortalia vota
Forſan adhuc tangunt, Vidui miſerere relicti
EINHARDI: rogo, fac tibi ſim virtute ſecundus,
Parque Tibi vivam, tua per veſtigia tendens:
Sic magnam luctûs noſtro de Pectore terges
Materiam, & multâ ſolves formidine mentem.
Ad tumulum reſidens, deprompſit ab ore loquelas
Has vix *EINHARDUS:* moriens quaſi ſuſpiravit,
Deliquium patiens animi - - - - -
Sed cùm ſit lacrymis incommutabile fatum,
Poſt longos gemitus, poſt & ſuſpiria crebra,
Mox quaſi de ſomno foret excitus ille profundo,
Expertus Mundi res vanas eſſe, nihilque.
Ad ſenſus rediens priſcos, animumque reſumens
Deſinit â luctu, lacrymari ceſſat & ultrò;
Namque futurorum ſolers, ſua lumina in omnes
Mox vertit partes: tenebroſas pellere nubes,
Divinamque ſuam Numen diffundere Lucem
Incipit: agnoſcens Salomonis dicta, probanſque
Quod ſtabile in Mundo nil ſit, quod cuncta labaſcant.
Mundum hinc faſtidit, jam deſipit Aulica vita,
Jam piget ac Aulæ, ſociorum tædet, & omnes
Calcat delitias: & laxa licentia morum
Diſplicet, ac ſubitò rerum meliora capeſſit
Conſilia: exoptans, hominem abjeciſſe vetuſtum.
Quid multa? extemplò radiis cæleſtibus actus
Ingemit, & ſancto ſuſpirat ad æthera voto:
Ejurans Mundum, hæc ſecum diſcurrere cepit:
O cæcos homines! O Mentes mentis inanes!
Ille ego, cûi curæ, cui tanta negotia Regum
Incubuêre diu: tantâ qui mole gravatus,
Hactenus ah! tantùm terrenis Regibus, eheu!
Servivi, *Regi* haud ſtudui ſervire *ſupremo.*
Ah! ſuperis fateor mea nunc peccamina ſerò,
En! tandem infelix: eheu! malè providus adſum,
Æternæque reus pœnæ, ſi me ante Tribunal,
CHRISTE, tuum ſiſtas, horum memor antè malorum.
Ecquid enim tantæ potero prætexere culpæ?
CAROLI & *Imperii* dum magna negotia geſſi,
Ah! quoties terræ affixus, cæli immemor, & *TE*,

Mi *DEUS!* & me neglexi: Vâh! ſplendor inanis
Offudit quoties tenebras, nè gaudia Diæ
Percipierem lucis? quoties turbæ atque tumultus
Opplevêre aures, monitis nè fortè paterent,
CHRISTE, Tuis? igitur nunc tandem ſeriùs, Heûs Tu
EINHARDE infelix! reſipiſcere denique: Teque
Multorum ſaltem faciant incommoda cautum.
Ah! quoties, quotiesque ſequi me recta paratum
Abripuit rapidis velut in contraria vortex
Transverſùm: rurſumque in devia compulit Aula,
Aula omnis ſceleris Mater, Nutrixque nefanda?
Subſcripſit quoties multis manus iſta reluctans,
Poſthabitâ ſuperûm miſeris mortalibus irâ?
Aula valeto igitur! fucoſæ ſubdola laudis,
Errorum ſpecioſa domus, fraudiſque malignæ,
Bullatis gaudens titulis, ſpe dives inani;
Aula vale, Magni Proceres Aulæque valete,
Et quæ lactâſtis tot me bona falſa per annos.
Vixi huc uſque aliis curis exercitus atque
Sollicitudinibus variis, non absque periclis,
Quæ mihi non rarò Legato * obeunda fuêre.
Nunc ego privatim, nunc dulcis amore quietis
Vivere quod ſupereſt, cupio tranquillus & opto.
Vivam *CHRISTE* Tibi, qui ſolus Terminus atque
Unicus es vitæ ſcopus, in quem figere cunctos
Et ſenſus animi debemus & intima Cordis.
Cuncta vacillanti trepidant nam terrea caſu,
In fatum ruitura ſuum: Carioſa Vetuſtas
Regna Dynaſtarum, ſeptem Miracula Mundi,
Et Ditis pervertit opes: Inſignia Regum
Fulgida, & antiquas fumoſas ſtemmate ceras
Obterit: Et nunquid, gravis eſt ſibi Troja ruinis?
Omnia labuntur, vel jam ruitura labaſcunt:
Æternum nihil Orbis habet, nihil immortale.
Solus Amor Divûm ſolidus ſtat: Numinis ardor
Integer, immotâ tantùm ſtatione perennat;
Quem neque denſatus valet inclinare Notorum
Turbo, nec horrendi turbare ferocia Fati.
Aula Apage! ergò procul Reges, Proceresque valete!
Ex hoc Aula vale! Cæli Regalia quæram,
Tranquillam ducam nunc ſancta per otia vitam,

* *Teſte Mabillon Litteras partitionis, ſeu Teſtamentum Caroli Magni factum inter tres Filios, Leoni Papæ obtulit.*

Et missis aliis (quibus hinc obstringor & indè)
Serviet hæc tantùm Superis mea serior ætas.
En! *CHRISTE*, hanc animam, hanc animam defende benignè,
Seque, suumque scelus clarâ tibi voce fatentem.
CAROLE MAGNE vale! *PIE LUDOVICE* valeto!
Ah! alium pro me vobis assumite servum:
Lubrica namque Aulæ nec me Fortuna rotabit
Amplius, at linquam fœdæ contagia vitæ,
Et Cæli rimabor iter: nunc castra Voluptæ
Desero, & hæc, quæ sunt mortalia, vanaque, sperno:
Meque *DEO* dedo solemnibus ordine votis.
Nunc *Servum* me namque *DEI* profitebor honestâ
Pauperie, *parensq;* Liber, *casteq;* resolvens.
En *BENEDICTE!* Tibi famulabor in *Urbe Beatâ*,
Incipiamque novam vitam: nec vana potentûm
Stemmata, nec garas, nec (qui sublimia damnant
Pectora) fumosos titulos, aut Nomina quæram:
Dulce mihi servire *DEO*, precibusque vacare
Nocte, dieque: per aspera sic lucrabor & Astra.
Abjicit, hæc dicens, *Insignia* clara *Ducatûs:*
Conculcans titulos, vanos ac Orbis honores,
Projicit & vestes auro, gemmisque nitenteîs,
Seque habitu vestit pullato: more *Nigrorum*
Religiosorum veterum, qui dicere gaudent
Se *Benedictinos*, *Casini* in vertice natos,
Mirificique *Patris Benedicti* signa sequuntur.
Sic age Tyro! vagos Mundi dimitte labores,
Tutus & in sacrâ rate sperne, *EINHARDE*, procellas
Dæmonis: & Cæli portu petiêre petito.
Perge *DEO* gratante! Sacræ primordia vitæ
Ordire: & divæ jace fundamenta palæstræ.
Vincito spurcitias Carnis, Cacodæmonis astus
Deride, & Mundi fugitivam spernito pompam.
Vix Tyrocinii *EINHARDUS* transegerat Annum,
Atque *Professus* erat consueta celebria *vota*
Religionis, & illustri sacroque Capitˆlo
Insertus: rapuit mox rara Modestia cunctos,
Nec minùs attraxit Fratres submissio mentis,
Ac Animi Candor: simul intemerata bonorum
Congeries, Pietasque sacro redimita nitore,
Et niveis fulgens ejus Prudentia pennis.
Hinc cöeunt Patres, veniunt ac Ordine Fratres:
Dignum ac Acephalo cupiunt præponere Claustro

Præpoſitum, noſtris *ABBAS* qui dicitur ævis.
Conſultant: ſolitam vota & jaciuntur in urnam.
Quam tandem reſerans *Senior*, Caput atque Capitˆli
Præſes, *Rathlaicus:* votis concordibus omnêis
Elegiſſe Virum rarâ virtute decorum
Invenit *EINHARDUM:* cunctis præſentibus illum
Ut talem evulgat: cuncti ſe terque Beatos
Eſſe, ajunt, & eum dicunt hoc Munere dignum.
In TE noſtra ſalus (clamant) *TU* noſter es *ABBAS*,
EGINHARDE! igitur *Prælati* munia ſume,
Atque præeſto diu: Saturnia Secula conde!
Sed contrà is replicat: mihi quem confertis honorem,
Non mereor: nec eum, mihi credite, prendere poſſum:
Namque abjuravi cunctos ego nuper honores;
Hinc, rogo, deligite ex vobis alium magè tali
Officio dignum, tanto qui dignus honore.
TE ſuper at cecidit ſors, *EGINHARDE*, reponunt:
Noſter *Præſul* eris, Caput & Venerabilis *ABBAS*.
Abnuit ille, patrumque preces ſurdâ excipit aure.
Ergò iterùm inviti ſacra ad Conclavia pergunt,
Inſtituuntque novas Patres ex Ordine ſortes.
Moxque reſumit Opus primum, primumque laborem
Præſes *Rathlaicus:* Votorum verſat & urnam,
Colligit atque iterum ſortes & Vota. Sed eccè
Hæ ſortes redeunt, ac priſtina Vota recurrunt:
Omnia in *EINHARDUM* conſpirant Vota, per Ædes
Conſors it Patrum clamor: *Fundator* & *ABBAS*
Permanet *EINHARDUS!* nobis per millia felix
Imperet Annorum ſpatia, & regnando perennet!
Talis at unanimis ſonitus dum perculit aures,
Ocyùs (Audite arrectis vos auribus, illum
Atque ſtupete Virum, Monachi! (rubor illius ora
Ac vultùm pingit, roſeoque pudore notatus,
Suffuſusque; animo verſat, quæ dicta reponat.
Vix ubi collegit ſeſe, mentemque reſumpſit,
Suſpirans, imoque trahens de pectore vocem,
Talia dicta dabat: Mihi quod tribuatis honorem
Invito, vobis ignoſcant Numina: Talem
Non mereor: Cur me, ajebat, nil tale merentem
Præ multis aliis Patribus, meritoque verendis
Tam blando ante alios circumſtet gloria vultu?
Non equidem fateor, tanto ſum dignus honore.
Hæc dicens, lacrymas vir effundebat amaras.

Tandem ut vox mœstas potuit proferre loquelas,
Suaviter hoc iterum sermone silentia rupit:
Sunt alii magè promeriti, hîc majora Virorum
Pectora sunt, tantum queîs vos imponere munus
Possitis. Stupuit, præerat qui *Præses* eidem
Concilio, & tanto se dicit Munere dignum
Invenisse virum, tantoque potentius urget,
Quò magis *EINHARDUS* munus captare recusat.
Hinc ad eum *Præses* blando sic ore locutus:
Vox populi, *Vox* eccè *DEI* est: suffragia Fratrum
Singula habere volunt *Te Te* pro *Præsule*, solum
TE sacra Fata volunt: poscunt *TE* Numina Divûm,
Hoc ergò acceptes, rogito, nec ferre recuses.
Sic jubet & Fratrum Cœtus, Superûmque Senatus:
Hîc Tua nil pietas, Tua nil demissio contrà,
Nilque preces poterunt humiles: Te poscimus omnes.
O Fortunatos iterumque, iterumque *Beatos*
Nos, Duce sub tali quêis vivere fata dederunt!
Qui *nostram Navim* per mille pericula salvam
Devehet, & tandem sperato in litore ponet.
Ergò age, nè renuas, cuncti tibi subdimur, ultrò
Poscentes Tua jussa: diu rege, donec Olympus
Seros post annos & tempora longa senectæ
Exosum terras, optataque ad astra migrantem
Mitrâ fulgentem, niveis in vestibus olim
Excipiat, donetque illic tua condere sêcla.
Ergò tuis humeris onus hoc imponito lætus,
Quamque tibi donat *DEUS*, acceptato Tiaram;
Aurea, cum præeris, vernabunt sêcla: *Beatum*
Posteritas *TE* sera canet, Tua fortia facta,
Nulla unquam ex animis tollent oblivia nostris.
Sicque Mitram *EINHARDUS*, tantumque admittere honorem
Cogitur, invitusque Patrum veneratur amorem.

1
2
3
4
5
6
7
8
9
10
11
12
13
14
15
16
17
18
19
20
21
22
23
24
25
26
27
28
29
30
31
32
33
34
35
36
37
38
39
40
41
42
43
44
45
46
47
48
49
50
51
52
53

GENEALOGIA,

Seu

Series Abbatum Seligenſtadienſium,

Ex

Antiquiſſimis Archivii noſtri Monumentis Eruta.

* * * * * * * * *

PRIMUS ABBAS EINHARDUS,

Vel EGINHARDUS, *aut* EINARDUS,

vel EGINARDUS, *aut* EGINHARTUS,

Tanta enim, de tanti Viri nomine lis eſt. Fuit autem Caroli Magni *Cancellarius*, & Ludovici Pii *Imperatoris Fidelis Conſiliarius*, *Abbatiæ Seligenſtadienſis Fundator*, *Mortuâ Conjuge Monachum induit & primum Abbatem egit circa annum* Chriſti 829. *Moritur ſub Lothario Imperatore, & interfuit Concilio Moguntiæ congregato per Archiepiſcopum Rhabanum, contra Godeſchalcum Presbyterum.*

* * *

HIC *EGINHARDUS* (Germano ſanguine natus,
Atque *Comes primus*, veterum ut monumenta loquuntur
Cuncta, Toparcha potens, *Dominus* condictus *in ERPACH*,
Ex quo deſcendit *COMITUM Stirps* inclyta degens
In *WERTHEIM*, nitidis ubi *Tubera* lucidus undis
Labitur in Mœnum) fuit *ABBAS* ordine *PRIMUS*.
Qui veluti numero primus, ſic integritate
Atque fide, nulli probitatis honore ſecundus.
Vir fuit hic Mogonæ Patriæ Lumenque, decusque,
Ordinis atque jubar, Fidei fax, Orbis & Atlas,
Imperii Alcides: quia maxima pondera rerum
Immotis humeris poterat fulcire cadentûm.
Dives erat meritis, animo Maturus, & altæ
Virtutis ſpeculum, Angelicâ Pietate decorus:
Moribus, Exemploque potens & amabilis ore;
Vultum namque ejus decoraverat alma Venuſtas,
Magnaque Majeſtas quædam reſidebat in ore,
Auguſtusque Pudor, morum gravitasque ſenilis.
Pectus ei ſummis non intractabile curis,
Et magnis aptum rebus, factisque gerendis.

Mentis erant plures dotes, & plura *Beato*
Ornamenta *Viro*, poſſit quàm Muſa profari.
Inter at innumeras dotes tamen eminet omnes,
(Non ſecus ac ſtellas micat inter Luna minores)
Doctrinæ donum, quod erat mirabile; Mundi
Namque erat ille ſtupor, quia ſcibile is hauſerat omne.
Nam ceu *Thejologi*, ſeu res tractanda *Poëtæ*,
Seu res *Conſulti*, ſeu lemmata docta *Sophorum:*
Is ſcitè has omnes poterat defendere partes.
EGINHARDUS erat *Suadæ* illibata Medulla,
Thêulogiæ. *Sophiæq;* Penus, Clariſſima priſci
Fax ævi, *Themidis* venerabilis atque *Sacerdos.*
Quidquid habet frugum ſapiens Academia, quidquid
Porticus â variis nomen ſortita figuris
Pœcila, versârat primo hic in flore juventæ.
Non tantum Latiam linguam callebat is unam,
Sed quoque Cecropio multùm fermone madebat,
Cunctaque quæ fari voluit, tribus omnia linguis
Doctus is effari poterat, narrareque cuncta.
Illius hinc erat & tanto ſublimius ævi
Ingeniis, quantum colles præcellit Olympus.
Metro erat & prosâ excellens, quoque *Tullius ore,*
Verſibus atque *Maro:* velut id teſtantur abundè
Plures ingenii fœtus, & Opuſcula ſcripta
Et dictata ab eo: *Pſalteria Gallica* (*Bedam*
Sic imitaturus noſtrum *Venerabilem*) ad inſtar
Mellificantis Apis ſelegit & abbreviavit,
Verſus excerpens Pietatis verba ſonantes.
Non ſtetit hîc, *CAROLI Magni* quoque *Cæſaris* Acta,
Geſta Alemannorum, *Francorum* & *facta* Tabellis
Mandavit, ſeroque dedit relegenda Nepoti.
Inſuper & quatuor ſat magna volumina ſcripſit
De *MARCELLINO* & *PETRO*, ſint qualiter horum
Ipſius juſſu Romanâ ex Urbe, *Beatam*
Scribâ â *Rathlaico* translata huc Corpora ad *Urbem.*
Plurima prætereà lectu ſuaviſſima ſcripſit,
Quæ neque vel meruit, potuit vel ſera videre
Poſteritas, nobis antiqua vel invidet ætas.
Fuſius *EINHARDI* noſtri celeberrima facta
Decantent alii, manſuro & Carmine famæ
Commendent, quibus eſt circum præcordia vena
Largior, & faciles ad carmina perpluit imbres.
Me ſterile ingenium prohibet ſermone pedeſtri

Deterere

Deterere ingentes laudes, numerisque minutis
Obscurare decus, nebulasque aspergere Soli.
Ut tamen illius magnam cognoscere possis
Doctrinæ famam, quæ nunc narrabo, revolve.
Accidit *EINHARDO* vivente *Abbate*, quod esset
Quidam mente tumens, veræ pietatis egenus,
Linguâ quàm vitâ melior: Temerarius, audax
Presbyter Hæreticus, *Godeschalcus* nomine dictus.
Hujus doctrinâ in partes Ecclesia *CHRISTI*
Scissa fuit, quia detestabilis Hæresis author,
Hic Mysta, assumptâ Sapientis fronte, diserto
Fallebat sermone rudes, Clerumque procaci
Infectans odio: *Monachorum* acerrimus *Hostis*,
Plebis adulator, gaudens popularibus auris.
Pontifices, ipsumque gravi corrodere linguâ
Audebat Papam: sceleratasque dogmata vulgo
Obtrudens, fœdis implebat vocibus aures,
Impia mellifluis admiscens toxica Verbis.
RHABANUS, quondam *Monachus Fuldensis*, & Orbi
Toti ob doctrinæ famam notissimus, at tunc
Antistes Mogonum summus: dum gliscere pestem,
In pejus ferri atque retrò ruere omnia cernit:
Mox medicas adhibere manus ad Vulnera tentat,
Et ne forte furens totum Gangræna pererret
Corpus, Ovis fors una gregem ne taminet omnem,
Ac corrumpat Ovile *DEI*: mox mente resolvit
Cogere Concilium, quo detestabile Mystæ
Schisma queat tolli, fataleque dogma revelli.
Conciliique locum famosi Nominis Urbem
Corde in Teutoniæque sitam, tumidique jacentem
Ad Rheni ripam designat; Vitibus, agris,
Arbustis, populo quoque quæ numerosa frequenti,
Turribus & templis, Clero, murisque superba,
Mogus ubi tumido miscet sua flumina Rheno;
A *DRUSI* quæ *glande Moguntia* & *Aurea* dicta.
Huc sacri, celebresque Viri (quos Mitra, Pedumvè,
Insula, vel gladius Mundo facit esse timendos)
Undique confluitant; & tollere schisma laborant;
Cumque illis *Sapiens EINHARDUS* adesse jubetur,
Ingenii ob dotes toto famosus in Orbe.

Concilii famâ accitus, quasi percitus œstro
Advolat, & properat Mogonam festinus ad Urbem.
Vix aderat præsens, mox Relligionis Alumnus Judi-

Judicioque potens, instructus & artibus almis,
Opponentûm inter tela hic acerrima, totos
Decertare dies visus fuit: atque nefandum
Sic feriit Schisma, atque fugat deliria Sectæ.
Quis referet quantos, quâ dexteritate labores,
Quâ Virtute graves tali certamine luctans
Vicerit assultus, & dogmata vana Sophistæ?
Nam velut Alcides contrà deformia monstra
Hæretici, audacter calamo certabat & ore.
Hinc venerabatur, cêu Relligionis avitæ
Et Basis & Columen, Patrum applaudente Senatu.
Tantum est Eximiæ Doctrinæ excellere laude!
Transacto tanto, tam difficilique labore,
Jam satur annorum, *Seligenstadiumq;* reversus,
Attritus gravitate ævi, gravitate laborum,
Ille suæ tandem Carnis quoque vinc^la resolvit, *
Oppressus splenis fors atque dolore * * Lienis.
Et stata perpetuæ mens tendit ad Atria vitæ.
Hinc lacrymæ, questus, viduata hinc claustra gemiscunt,
Lugent atque dolent: tanto deserta ab Atlante:
Mœnus & ipse suas muscosi fluminis urnas
Fletibus & lacrymis lugens implevit obortis.
Rottgaviæ at *Nymphæ*, sacrataque Numina Mœni,
Quid nigris (ajunt) peplis in pulvere & umbrâ
Syrmata vos trahitis, magnisque ululatibus astra
Impetitis frustrà? derident surda querelas.
Desinite insano clamore ferire penates,
Stellatasque domos Superûm! stant funera lege
Irrevocanda suâ: præduro Adamante notârunt
Fata Hominum mortes. Quid anhelo pectore tristes
Hauritis gemitus? Nunquid mortalia passus
Mortalis? su; rà mortalem nomine vivit.
EINHARDUM, fateor, mors invida sustulit Orbi, ast
Adderet ut Cælo Cælestis particulam auræ,
Utque novum patrio sociaret sidus olympo.
Felix *EINHARDUS* nimium! qui saxa dolosa
Et dubios vitæ scopulos, syrtesque latentes
Emensus, Superûm nunc in statione moratur.
Jam tenebris expers, & verâ luce refulget

Illu-

---

* Quidam Historici tradunt, eum sæpiùs hoc morbo vexatum,

** *Mabillon tom. 2. Annal. l. 32. pag. 610. num. marg. XVI. dicit: Quod Eginhardus Seligenstadiensis non sit prætergressus Annum Christi* 839. Bollandus eum An. 843. mortuum esse dicit. Alii circà finem An. 855. decessisse volunt.

Illuſtreîs inter Cuneos, Cælique Quirites:
FUNDATORIS EGINHARDI nam *Præſulis* umbra,
Elyſii per regna Horti præfulget Eoo
Murice, floreſcens æterni gloria Veris.
His dictis, tacuêre omnes: ſed paucula Vates
Carmina, marmoreo tumulo hæccè ſequentia ſcripſit.

EPITAPHIUM I.

Hic hujus recubat Clauſtri *FUNDATOR* & *ABBAS*
PRIMUS, EGINHARDUS: CAROLI qui *CÆSARIS* olim
MAGNI PRÆCEPTOR, poſt *CANCELLARIUS* Aulæ
INTIMUS: ac tandem, quia *NATAM* duxerat *IMMAM*,
CÆSARIS AFFINIS: ſed eâ moriente, relinquens
Mundi Quisquilias, *LUDOVICI* ceſſit ab Aula,
Factus & hic *MONACHUS*, fit denique *PRIMUS* & *ABBAS*.
Ingenii ob dotes *SAPIENS* cognomine dictus:
Delitium Aonidum, Sophiæ, jurisque Medulla,
Malleus Hæreſeos, Muſarum vivida ſedes,
Linguarumque penus variarum: melle redundans
Cecropio & Latio. *Verbo*: Clariſſima priſci
Fax ævi, noſtri decus immortaleque clauſtri.

EPITAPHIUM II.

Ejusdem, ex operibus Rhabani Monachi Fuldenſis & poſteà Archiepiſcopi Moguntini.

Te peto, qui hoc templum ingrederis, nè noſcere ſpernas,
Quid locus hic habeat, quidque tenens moneat.
Conditus eccè jacet tumulo vir nobilis iſto
EINHARDUS, nomen cûi Genitor dederat.
Ingenio hic prudens, probus actu, atque ore facundus
Extitit, ac multis utilis arte fuit.
Quem *CAROLUS* Princeps propriâ nutrivit in aula,
Per quem & confecit multa ſatis opera.
Nam *Horum Sanctorum* * condigno functus honore,
Exquirens Romæ Corpora duxit & huc.
Ut multis proſit precibus, curâque medelæ
Ipſius animæ regna poli tribuant.
CHRISTE DEUS, hominum Salvator, Rector & Auctor!
Æternam hûic requiem da ſuper aſtra pius.

* *Marcellini & Petri.*

Judicioque potens, instructus & artibus almis,
Opponentûm inter tela hic acerrima, totos
Decertare dies visus fuit: atque nefandum
Sic feriit Schisma, atque fugat deliria Sectæ.
Quis referet quantos, quâ dexteritate labores,
Quâ Virtute graves tali certamine luctans
Vicerit assultus, & dogmata vana Sophistæ?
Nam velut Alcides contrà deformia monstra
Hæretici, audacter calamo certabat & ore.
Hinc venerabatur, cêu Relligionis avitæ
Et Basis & Columen, Patrum applaudente Senatu.
Tantum est Eximiæ Doctrinæ excellere laude!
Transacto tanto, tam difficilique labore,
Jam satur annorum, *Seligenstadiumq;* reversus,
Attritus gravitate ævi, gravitate laborum,
Ille suæ tandem Carnis quoque vinc^la resolvit,*
Oppressus splenis fors atque dolore * * Lienis.
Et stata perpetuæ mens tendit ad Atria vitæ.
Hinc lacrymæ, questus, viduata hinc claustra gemiscunt,
Lugent atque dolent: tanto deserta ab Atlante:
Mœnus & ipse suas muscosi fluminis urnas
Fletibus & lacrymis lugens implevit obortis.
Rottgaviæ at *Nymphæ*, sacrataque Numina Mœni,
Quid nigris (ajunt) peplis in pulvere & umbrâ
Syrmata vos trahitis, magnisque ululatibus astra
Impetitis frustrà? derident surda querelas.
Desinite insano clamore ferire penates,
Stellatasque domos Superûm! stant funera lege
Irrevocanda suâ: præduro Adamante notârunt
Fata Hominum mortes. Quid anhelo pectore tristes
Hauritis gemitus? Nunquid mortalia passus
Mortalis? supràmortalem nomine vivit.
EINHARDUM, fateor, mors invida sustulit Orbi, ast
Adderet ut Cælo Cælestis particulam auræ,
Utque novum patrio sociaret sidus olympo.
Felix *EINHARDUS* nimium! qui saxa dolosa
Et dubios vitæ scopulos, syrtesque latentes
Emensus, Superûm nunc in statione moratur.
Jam tenebris expers, & verâ luce refulget

Illu-

---

* Quidam Historici tradunt, eum sæpiùs hoc morbo vexatum,

** *Mabillon tom. 2. Annal. l. 32. pag. 610. num. marg. XVI. dicit: Quod Eginhardus Seligenstadiensis non sit prætergressus Annum Christi* 839. Bollandus eum An. 843. mortuum esse dicit. Alii circà finem An. 855. decessisse volunt.

Illuſtreîs inter Cuneos, Cæliſque Quirites:
FUNDATORIS EGINHARDI nam *Præſulis* umbra,
Elyſii per regna Horti præfulget Eoo
Murice, floreſcens æterni gloria Veris.
His dictis, tacuêre omnes: ſed paucula Vates
Carmina, marmoreo tumulo hæccè ſequentia ſcripſit.

EPITAPHIUM I.

Hic hujus recubat Clauſtri *FUNDATOR* & *ABBAS*
PRIMUS, EGINHARDUS: *CAROLI* qui *CÆSARIS* olim
MAGNI PRÆCEPTOR, poſt *CANCELLARIUS* Aulæ
INTIMUS: ac tandem, quia *NATAM* duxerat *IMMAM*,
CÆSARIS AFFINIS: ſed eâ moriente, relinquens
Mundi Quisquilias, *LUDOVICI* ceſſit ab Aula,
Factus & hic *MONACHUS*, fit denique *PRIMUS* & *ABBAS*.
Ingenii ob dotes *SAPIENS* cognomine dictus:
Delitium Aonidum, Sophiæ, jurisque Medulla,
Malleus Hæreſeos, Muſarum vivida ſedes,
Linguarumque penus variarum: melle redundans
Cecropio & Latio. *Verbo*: Clariſſima priſci
Fax ævi, noſtri decus immortaleque clauſtri.

EPITAPHIUM II.

Ejusdem, ex operibus Rhabani Monachi Fuldenſis & poſteà Archiepiſcopi Moguntini.

Te peto, qui hoc templum ingrederis, nè noſcere ſpernas,
Quid locus hic habeat, quidque tenens moneat.
Conditus eccè jacet tumulo vir nobilis iſto
EINHARDUS, nomen cûi Genitor dederat.
Ingenio hic prudens, probus actu, atque ore facundus
Extitit, ac multis utilis arte fuit.
Quem *CAROLUS* Princeps propriâ nutrivit in aula,
Per quem & confecit multa ſatis opera.
Nam *Horum Sanctorum* * condigno functus honore,
Exquirens Romæ Corpora duxit & hùc.
Ut multis proſit precibus, curâque medelæ
Ipſius animæ regna poli tribuant.
CHRISTE DEUS, hominum Salvator, Rector & Auctor!
Æternam hûic requiem da ſuper aſtra pius.

C EPITA.

* *Marcellini &*

Pecto-

ortus.

EPITAPHIUM III.

Ejusdem, quod passim circumfertur, incerto tamen Authore.

EINHARDUS fueram Regum qui clarus amore,
Cûi *CAROLI MAGNI FILIA* nupta fuit.
Quæque sub hoc mecum tumulo concluſa quieſcit,
Ad Superos donec nos tuba rauca vocet.
Hoc ego conſtruxi devoto pectore templum
Fratribus, & larga's contuleramus opes.
Corpora Sanctorum, ſummâ tumulata ſub arâ
Conduxi: dono quæ mihi *Roma* dedit.

***

ABBAS II. RATHLAICUS.

Einhardi Succeſſor, præfuit tempore LOTHARII *Imperatoris, cujus Epitaphium â Rhabano Mauro Monacho & Abbate Fuldenſi, poſteà Archiepiſcopo Moguntino conſcriptum extat.*

* * *

ABBATE EINHARDO tumulato & ritè ſepulto,
Conveniunt Patres, Fratresque ad publica Clauſtri
Commoda: de ſummis agere ac diſponere rebus
Exactâ ratione parant, exque omnibus unum
(Qui modò ſit tanto ſuccedere dignus honori)
Præfeciſſe ſibi celeri pietate laborant.
Sic ubi noctivago ſtellarum lumine puppis
Decurrit Pelago, ſi fortè nocentibus illam
Quâ regitur curſus tenebris premit ardua nubes,
Abrumpitque vias: alio ſibi ſidere Nauta
Quærit iter, Clavique modum, Velique tenorem
Innovat, & radiis accommodat arte carinam.
Sic ubi tanta Patres audire negotia, ſacrum
Mox adiêre locum, diverſo magna favore
Pendere librantes, nunc hunc, nunc protinus illum
Aſpiciunt; verſantque diu moresque, genusque,
Ingenium, genium, famam, pietatis amorem:
Cunctaque ſollicito curarum examine penſant.
Tandem quid peteret Clauſtri Fortuna, per unum
Dignata eſt aperire Virum, qui nomine clarus,
Conſilioque valens & perſuadere peritus,

Surgit:

Surgit: &, ut magnis vocem cum corpore rebus
Compoſuit, facunda Pater ſic ora reſolvit:
Dilecti ſalvete *Patres*, cunctiſque *Profeſſi*
Fratres! præſentis vos hujus *Membra Capitîli*
Scitis, ut è medio, dolor hêu! ſublatus acerbo
Funere *EGINHARDUS*, Mundum Vitamque reliquit.
Nunc igitur, veluti cum luditur alea ſortis,
Conſilio fati caſum properetis iniqui
Corrigere: & tanto medicamina ferre dolori.
In manibus veſtris hoc eſt: ea quippè poteſtas
Ad vos more ſuo, ſemper viduata recurrit.
Conſulite in medium, præſenti ex agmine Patrum
Unum (quem tanto deceat ſuccedere Patri)
Eligite, *ABBATIS* dignum geſtare Tiaram.
Aſt ego, ſi veſtrâ, quæ ſit ſententia mentis,
Pace monere licet, quò noſtri pondera vergant
Conſilii (propiùs vos rem perpendite) promam.
Unus hic egregiæ præſens probitatis, & alto
Nomine majorum clarus, ſed clarior actis
Ipſe ſuis, Solidè tractare negotia doctus,
Nomine *Rathlaicus*: cujus ſtirps aurea trina
Raſtra quaſi gerit inſigni pro ſtemmate (quamvis
Pro nunc incertum nobis, quæ Gentis * origo)
Is pius & juſtus, ſolidæ Virtutis Amator,
Vir *REGI* gratus *LODOICO*, charus & imis:
Cujus inexhauſtum fœcundi pectoris uber,
Doctrinæ pollentis opes, mirandaque mentis
Lumina, tùm fando non enarrabile donum
Eloquii, Pyliumque ſenem qui vincere poſſet.
Fortis ad inſtantes caſus, prudensque futuri,
Præteritique memor: ſolers & pace modeſtus.
Hunc ego *Prælatum* fauſto clamore cieri,
Incingique ſacro nitidos diademate crines
Et moneo, & nunquam, fateor, monuiſſe pudebit.
Sic ubi mellifluâ, quisquis fuit ille diſertus,
Voce perorârat, concordi protinùs omnes
Aſſenſêre ſono: læto clamore cietur
Abbas Rathlaicus, totumque illuſtre Capitîlum
Hunc celebrat: moneſque probos ac inclyta facta
Extollunt, dignumque Pedo, dignumque Tiarâ
Et Lituo clamant: alii præluſtria geſta
Commemorant: alii ſtudium, magnique vigorem

* Lupus apud Mabillon in Epiſt. 60. ait: *Quod in Urbe Coloniâ ſit ortus.*

Pectoris, & placidos, sed non sine pondere, mores.
Mox ubi ritè suam Fratres juramine sacro
Obstrinxêre Fidem, cunctis, quæ postulat Ordo,
Expletis: illum Mitræ diademate cingunt.
Nil sed in humanis unquàm durabile rebus,
Nàm brevis, incerta ac multorum plena laborum,
Et nostra hæc variis obnoxia Vita periclîs.
Quid sumus âh! homines, nisi pulvis motus ab aurâ?
Et fragili vitro similes, umbræque fugaci,
Atque Rosis, quæ manè vigent, & vespere languent?
Sic quoque *Rathlaicus*, paucos vix vixerat annos,
Tùm vitæ extremum clausit feliciter actum: *
Tempore *LOTHARIUS CÆSAR* quo sceptra tenebat
Imperii: Laudes tamen ejus carmine scripsit
(Ut veterum monumenta docent & scripta vetusta)
RHABANUS Fuldæ *Monachus*, celebrisque Poëta,
Qui tamen *ex Monacho*, *Mogonorum* postea *Princeps*
Factus & *Antistes*, permultis præfuit annis.

EPITAPHIUM RATHLAICI.

Ab ipso Rhabano compositum & ex operibus ejus descriptum.

En servus *CHRISTI Rathlâicus* nomine dictus:
Corpore hic pausat, spiritus alta petit.
Presbyter hic fuerat, Sophiæ & studiosus amator,
Officium *Abbatis* & benè gessit opus.
Strenuus ac solers divinæ dogmate legis,
Scrutando didicit atque alios docuit.
Is ex *Coloniâ* veniens *Regi* en! *LODOICO*
Conjunctus valdè, utilis atque fuit.
Plures nam docuit verbis & scribere fecit,
Quæ fuerant apta plurima ad Officia.
Nam juvenis vitam hanc linquens migravit ad æthra,
Atque ibi cum *CHRISTO* gaudia vera tenet.

* * *
* * *

III. ABBAS SYBOLDUS.

Rexit is Abbatiam Seligenstadiensem sub Carolo Crasso Imperatore circa annum 880.

* * *

HOC benè defuncto, delectus tertius Abbas
Nomine *SYBOLDUS: Carolo* sub *Cæsare Crasso* hic
Præfuit

* *Joannes Mabillon tom.* 3. *Ann. Bened. Lib.* 35. *fol.* 16. *num. Marg. XXXIV. ait mortuum esse An.* 851.

Præfuit, atque ſimul Regni ſucceſſor & Heres,
Sceptra ſacrata gerens *Abbatis*, jure paterno
Prædeceſſorem magnis Virtutibus æquans.
In Campo rubeo prænobile Stemma *STBOLDI*
Erectam præfert auro gravidamque *Columnam.*
Ordinis Anicii cecidit tamen hæccè *Columna*
Cum magno Fratrum luctu, Patrumque dolore:
At, quem Mors rapuit, probitas ad Sidera vexit.

* * * * * * * * *

IV. ABBAS BURCHARDUS.

Hic interfuit ob Doctrinæ famam Synodo Triburienſi
Anno 896. *indictione* 14.

* * *

BURCHARDUS ſuccedit ei: Vir mente peritus,
Et Sapiens: hinc ad Synodum fuit ille citatus,
Quam *Mogonûm Antiſtes HATTO* præcepit habendam
Triburii: Urbs illo *celebris* quæ tempore valdè,
Ruſtica nunc verò Villa eſt *ad Litora Rheni,*
Ac *Oppenhemio* procul haud quæ diſſita Vico.
Hic quamvis doctus, rapitur tamen: invida ſorti
Hêu fata humanæ! Mors illum ſuſtulit Orbi,
Depoſuitque Virum doctrinæ laude celebrem,
Conſpicuas inter ſtellas radiantis Olympi.

* * * * * * * * *

V. ABBAS JOANNES I.

Præfuit hic Anno Chriſti 930.

* * *

CUnctorum applauſu votis ac ore, *Joannes*
Burcardum ſequitur, *Primus* qui nominis hujus.
Extulit hunccè Virum Virtus & clara paterna
Nobilitas, veterum traducta ab origine Patrum,
Et ſtirpis præcelſus honor, ſeriesque vetuſti
Sanguinis, ac morum verè miranda Venuſtas.
Hic quadraginta ſuos fauſtè cum rexerat annos,
Fratribus acceptus, ſummis quoque gratus & imis,
Abripitur tandem: at lutei mortale relinquens
Corporis induvium, ad cæleſtia regna migravit.

*** *** ***

VI. ABBAS OTTO I.

Vixit hic circà annum Christi 970.

* * *

IOanni *Primo*, *Primus* succedit & *OTTO*:
Præsulis ast hujus vix quædam novimus acta,
Non aliam ob causam: quàm quod longæva Vetustas.
Inclyta gesta ejus caligine mersit opacâ;
Vel, quod nemo fuit, qui facta patrata notaret.
Mortuus ille tamen vivet per secula nobis,
Utpotè, quem Virtus post funera vivere fecit.

*** *** ***

VII. ABBAS BERINGERUS.

Hic villam in Hirsch-Stein *Monasterio nostro Comparavit. Obiit Nonis Maji, An.* 1019.

* * *

CEsserat è vivis pius *Abbas OTTO*, secutus
Beringerus eum: Non tantùm cælica curans,
Sed quoque solerter terrena negotia ad instar
Sollicitæ Marthæ tractans: hinc comparat ille
Multa Monasterio lautissima prædia nostro,
Et Villas, Vinetaque plura coëmit in Hörstein:
Ex quorum lacrymis maduerunt guttura Vati
Sæpiùs; hinc admirari, rogo, desine Lector,
Istius vici laudes quod scribere pergam.
Urbs est, quam populus vocitat, vocat atque *Beatam*,
Namque *Beatorum* perplurima continet *Ossa*
Martyrum, & *Exuvias* Româ quondam indè relatas,
A Francofurto distans sex circiter horis.
Ista Monasterii sacras urbs continet ædes,
Quas coluêre novem nunc integra secula * fermè
Ascetæ Nigri: calidus quos Numinis ardor
Incitat, Angelicæ tranquilla silentia vitæ
Transigere, ac certo contendere in æthera cursu.
Illius allambit sinuoso mœnia tractu
Mœnus, & *Hanoviam* descendit gurgite leni.
Non procul hinc (etenim cælo sudo atque sereno
Intûor ex cellâ, quoniam distantia parva,

Vix

* *Desunt novem anni.*

Vix leucæ unius) locus eſt; qui vitifer uvas
Dat dulces, multoque fluunt læta arva Lyæo:
Dives ibi plenis ſpumat Vindemia labris,
Sæpeque purpureis turgeſcit Vinea botris,
Namque ibi regna tenet Bacchus, Libervè Lyæus,
Thyrſigeroque patri non rarò ſacra litantur:
O locus! O Regio! Nymphis cultiſſima tellus,
Area Triptolemi, Bromii ſacra tecta Lyæi!
Cervipetra Auſoniis, Germanis dicitur Hirſch-Stein/
Aſt Hör-Stein alii (quaſi *Vinum* creſcat ibi *Cos*)
Hunc vicum vocitant, de nomine tam ardua lis eſt.
Rhenenſes laudent Rhenana, ut Maſſica ſana;
Hochemii Hochemium, Bacchique quod Ara propinat
Bacchicolæ extollant: Fortiſſima Rhetica Vina
Helvetus exclamet: Maro ſuavia Theſſala jactet:
Italia & Latium ſua Muſcatella celebret.
Aſt ego præ reliquis (per Bacchi pocula juro)
Cervipetræ, aut Hirſch-Stein ſaniſſima judico vina;
Nam veluti medio fulgens Sol igneus Orbe,
Sideribus reliquis claro dominatur Olympo,
Obſcuratque minus majori lumine lumen:
Tantum hujus Bromii fortiſſima vina, liquores
Vitiferos ſuperant, Malvæo hoc munere colles:
Hujus teſtis erit, ſuccus ſapidiſſimus uvæ.
Namque adeò ſapidas uvas, non ipſe Falernus;
Nec tam vinoſos fert inſula Lesbia botros.
Si natum guſtes Hör-Stein in Monte Lyæum,
Deſipiet (mihi crede) tibi vel *Lacryma CHRISTI*,
Quam ſuevit Latium tam magnâ extollere laude.
Hör-Stein nam montes, ipſis Bellaria Divis,
Ambroſiam ſtillant, nobis dant taleque Nectar,
Quod laudare ſolet Podalirius atque Melampus,
Phœbigenæque omnes. Hoc hornum nobile vinum, eſt
Lætitiæ adſertor, quoque certa medela doloris,
(Expertus loquor) & ſpes una & maxima curis.
Nam defæcato bullantes ſanguine venas
Implet, & ipſius Cordis penetralia ſenſim
Exhilarare ſolet, volitantes diſcutit umbras,
Quæ cerebrum obfuſcant; vitalem Spirituum Vim
Vivificat, ſtomachi marcentis tædia ſucco
Nectareo expellit, ſpirantia flamina ventris
Diſcutit, innatum fovet aſſervatque calorem.
Hæccè *Beringerus* benè noverat omnia Præſul,

Hinc

Hinc velut Oeconomus prudens, ibi jugera plura
Unà cum villâ pingui ſatis, ære parato
Comparat, atque ſuis emit: ut ſic largiùs alto
Turba ſacrata *DEO*, propriâ de Vite Lyæum
In ſacris Aris, in menſa deniſque gratìs
Hoſpitibus præbere queat: qui rarius abſunt
Clauſtris, ut *patriarcha ſacer* prædixerat * olim.
Hæc & multa alia elogiis digniſſima fecit
Hiccè *Beringerus*. Communem denique carnis
Ingreſſusque viam, terreſtria cuncta reliquit.
Abbatia tamen dum noſtra manebit, amœnus
Quamque diu Mœnus noſtram præterfluet urbem;
Dumque racemiferas Hirſch-Stein exporriget uvas,
Aſcetisque dabit generoſum & dulce falernum:
Ex animis noſtris *Abbas* non excidet ille,
Sed ſemper cunctis manet altâ mente repôſtus:
Ejus & hinc ſcribo carmen quoque tale ſepulchro:

En! hic Prælatus *jacet alto ſtemmate natus,*
Vir Beringerus: *Germanus pectore verus,*
Et pietate gravis, ſed Fratribus uſque ſuavis.
Auctor Reddituum, ſpecimen Venerabile Morum:
Nam vites emit, quoque debita multa redemit.
Mortuus hic vivit, gratus manet atque probatus.
Myſta ſacrum peragens, & pauper labra reſtinguens,
Hunc Benefactorem extollas, & ad æthera tollas.
Cumq; fame preſſos, ſitis atque Cupidine feſſos
Vino hic lactavit, Mendicos pane cibavit,
Vivat ut in cælis, hoc oret quisque fidelis.

*** *** ***

VITA B. CLARI INCLUSI SELIGENSTADIENSI.

De Sancto Claro Monacho Saligenſtadienſi, ita ſcribit Trithemius in Chronicis Monaſterii Hirſaugienſis: *Floruit circa annum* Chriſti *M XLIII. Clarus Monachus Sanctorum Marcellini & Petri in Selgenſtadt Moguntinenſis Diœceſis, noſtri Ordinis, Vir doctus & religioſiſſimæ converſationis: qui in eodem loco pro Dei amore incluſus Orationi & contemplationi vacans die ac nocte Spiritum prophetiæ conſecutus aſſeritur. Cujus feſtus dies agitur Kalendis Januarii. Hæc ille. Hujus Sancti Viri nomen (ait Bollandus* 1. Januarii *mihi* pag. 65.) *extat Martyrologiis monaſticis inſcriptum*

(ut

* *S. Benedictus in regula ſua Cap.* 53.

(ut videre est apud Hugonem Menardum, Arnoldum Wion, aliosq;) uti & Philippi Ferrarii catalogo. Sed mirum est ab illis Abbatem appellari, quem Trithemius solum Monachum vocat. Non legitur quidem de eo Officium ullum in Seligenstadiensi Monasterio, celeberrima tamen est sanctitatis memoria. Quo loco ejus conditæ sint Reliquiæ, ignoratur. Idem Bollandus in addendis ad diem 1. Jan. num. 1084. *de eodem hæc ait: Incidit aliquando subvereri, nè CLARUM, Abbatem Monasterii S. Marcelli, monachum Cœnobii SS. Marcellini & Petri fecerit Trithemius. Certè quidem eo antiquiorem neminem legimus, qui hujus Clari meminerit. Sed magnum momentum habet traditio ipsius Monasterii, fortassis & monumenta nobis ignota.*

* * *

QUantum humana rotet miranda potentia Fati,
Quàm rerum & dubiis ludat succesſlibus ævi
Circulus: inque vices cælum Mortalibus ægris
Vel terſos Soles, vel nubila fœda propinet,
Proxima quæque dies docet; arcanisque repôstum
Cauſis, cur quædam creſcant, quædamque labaſcant.
Scilicet amplivagi quidquid verſatile pegma
Orbis habet, mutat: nihil & conſiſtit eodem
In ſtatu: hic etenim rebus mortalibus ordo
Principio fuit, atque hæc inconſtantia conſtans,
Per fas atque nefas, reliquis durabit & ævis,
Quod nihil in mundo hoc unquàm ſtabile atque perenne.
Quò cecidiſtis enim, jam tot ter maxima Regna?
Imperia æternum fruſtrà jactantia nomen,
Quæ quondam Phœbus ſurgensque cadensque ſtupebat,
Nunc perflant ſtreperi cinerum ludibria Venti.
Non opus Annales, Exemplorumque vetuſtas
Excutere Iliades, *BENEDICTI* ſolus id *Ordo*
Sat probat, & claris teſtatur vocibus ehêu!
Hic nam centenis aliquot vix floruit annis,
En! inimicus Homo *Benedicti* ſparſit in *Agrum*
Semina laxorum morum, ſcelerumque venenum:
Ut ſic ſublimes animas, ſuperisque dicatas
Mentes, ad Barathri pœnas, & ſordida Pluti
Regna, unà ſecum tandem detrudere poſſet.
A Superis, aſt hiſcè malis præcautio facta:
Nam, cùm collapſi Mores, ac *Regula ſacra*
Induerat deforme chaos, mollisque Voluptas,
Et ſummi excuſſo damnoſa Licentia gaudens
Numinis Imperio, *Benedicti* plurima clauſtra

Paſſim obſcurarent valde ; mox *Ordo Sacratus*
Et, quibus auratæ reſplendent Vertice Mitræ,
Præpoſiti *Abbates*, ſummæ quibus omnia curæ
Tradita ſunt, ſtudio multùm vigilante laborant;
Sacra Magiſtra ſuum perdat nè *Regula* cultum.
Viribus unitis igitur ſuccurrere tantis
Turbinibus tentant, vitia extirpare, jacentes
Tollere humo leges, priſcosque reducere mores,
Qui cunctos traherent pulchræ Virtutis amore.
Extrà Clauſuram cum crebra vagatio, paſſim
Introduxiſſet noſtris mala plurima Clauſtris
(In ſicco veluti piſcis nam vivere ceſſat,
Sic perit & Monachus, de cella quando vagatur)
Hinc mox conveniunt, mores reparare volentes,
Ordinis Anicii Patres: prænobile germen,
Ordo Recluſorum, *Magni Patris Benedicti*
Progeniem cum lege trahens fuit ortus, ab ipsâ
Sede & Apoſtolicâ, multis aliisque probatus.
Mos illius erat longum ſervandus in ævum,
Devotos Monachos ſacris includere Cellis,
Ætatemque *DEO* teneram, primumque dicare
Virgineæ florem Vitæ: & moderamine certo
Discordes animi motus, Carnemque domare,
Semper ad æthereos Orbes convertere mentem.
Felices animi! qui Mundi â Syrtibus altam
Viſuri pacem, loca ſunt in tuta recepti.

Circa tempus idem, quo ſtrictus ceperat *Ordo*
Ille Recluſorum naſci, florereque paſſim:
Claruit in noſtrâ, veluti Pharos, *Urbe Beatâ*
(Atteſtatur uti in priſcis *Hirſaugia** Faſtis
Percelebris quidam Monachus, prænomine *CLARUS.*
Finxerat hûic mentem Phœbus, Latonia proles,
Ac caſtigatum mores Dea Pallas ad unguem
Artibus imbuerat variis: Aſcetaque dictus
Hic licet (ut paucis complectar plurima) ſacris
In ſtudiis eſſet doctiſſimus atque profanis:
Attamen eximiis multò præclarior ille
Moribus ornatus fuit: hinc quoque pnevmate ſacro
Plenus & afflatus, *CHRISTI* ſolius amore
Sæpius inflantes generosè tempſit & artes.
Cumque *DEO* ſoli conjungi pectore toto
Quæreret, ille ſui conſenſu Præſulis, arctæ

Exopta-

* *Ita Chronicon Hirſaugienſe mihi folio* 183.

Exoptata diu ſecreta Cubilia Cellæ
Ingreditur, ducens ibi cælibis otia vitæ.
Cella illi cælum, Lenimen Cella süave,
In Cella latitare erat unica, ſumma voluptas.
Hâc latitans, curis aperit cæleſtibus almum
Pectus, & in ſummum ſenſim levat æthera mentem;
Hinc Mundi ſtrepitus, vanos Hominumque tumultus
Spernens, congreſſus hominum vitabat & ora.
Purpureoque velut radians Carbunculus ore,
Obſcuros inter lapides, gemmasque minores
Splendet: ita hic *Monachus CLARUS* jam grandior ævo,
Aſcetas inter reliquos præcelluit omnes,
Virtutis præclara ſuæ monumenta relinquens.
Otia nulla die carpens, nulla otia nocte:
Sed lætus pſalmos noctuque diuque canebat,
Ac meditabatur: gemebundi Turturis inſtar.
Cura cibi, ſomnique brevis, quæ paſceret artus,
Pauperibus cœnis genium fraudabat & ora;
Et caſtigato tolerans jejunia ventre,
Eſuriem tenui depellebatque cibatu:
Atque novus veluti *Nazaræus* vina nec unquam
Libabat, nec, quod rationem lædere poſſet,
Guſtabat: ſed nec carnes, quidquamque comedit,
Quod vitam tenuit: ſic ut Quadrageſima tota
Vita foret, conſtans & Mortificatio Carnis.
Dum ſic *Incluſus* quatuor bis vixerat annos,
Mortuus hûic Mundo perfectè *CLARUS* eſt eſſet,
Terrenumque nihil ſaperet: Mens ejus amorem
Imbibit hinc cæli: divino percitus œſtro
Multa animo vidit, cêu Vates, plura futura
Prædixit: finis quæ poſtea vera probavit.
Denique ter denas cum ſic vixiſſet ariſtas,
CLARUS hic *Incluſus*: mens & ſuccenſa calore
Eſſet Divino, ſuperis unitaque ſemper.
Sicut enim occidui Magnes ad ſideris aſtrum
Vergit, & Arctoo nunquam diſcedit ab axe:
Sic Superi *CLARI* penetrabant intima cordis
Semper, & ille *DEO* conjunctus mente viciſſim.
Ergò ſatur vitæ, cuperet cum vincula carnis
Diſſolvi, jungique *DEO*, & valedicere Mundo:
Inſonuêre poli, longeque auditur ab alto
Concentus, mixtumque melos: cumque illa ſtuperent
Presbyteri adſtantes, Vitâ & Virtute celebres;

En ! Chorus Angelicus celſo prorumpit Olympo,
Dulce canitque melos : cum *CLARUS* inaudiit illud;
Mox adeò incaluit patriæ cæleſtis amore,
Ut ſubitò exſpirans præſentem linqueret Orbem.
Inter at Angelicos plauſus, cantusque süaves,
Cellâ ex anguſtâ celebri, claroque triumpho
Spiritus auguſtam cæli volitavit ad arcem;
Dum poſt millenos *CHRISTI* quadrageſimus Annus
Tertius & ſupra hunc dilabebatur & ibat:
Principio Menſis, cui fecit Februa nomen,
Carnis & induviæ propè ſummum Altare locatæ.

*** *** ***

VIII. ABBAS OTTO II.

Hic rexit Abbatiam An. 1045. *hic ab Henrico Imp. impetravit Confirmationem Privilegiorum.* *

* * *

Cumq; BERINGERUS ſubiiſſet fata diei
Supremi : eligitur Præſul mox *OTTO* ſecundus.
Hic laudabiliter non paucis præfuit annis,
Et terrena augens, & ſpiritualia quærens:
Indè Monaſterium florebat rebus opimum,
Ære potens, cultâ ditione, virisque redundans,
Et pietate virens, & Relligione decorum.
Sed fluxum, o decus humanum ! o miſerabile fatum !
Mundana hæc quantis non ſunt ſubjecta periclis ?
Heu ! quam cuncta abeunt celeri mortalia curſu :
Quam fluxa atque fugax humana eſt gloria, bullæ
Perſimilis, quæ olim ſummâ turgeſcit in undâ
Mox perit, & vento exiguo diſpulſa fatiſcit.
Alterum ab undecimo ſeclum vix ſumpſerat ortum,
Vixque quadringentis domus hæc duraverat annis:
Ecce tibi ! ſubitò (neſcitur ** quomodo) ſacri
Tecta Aſceterii ſtrepitu Vulcanus anhelo
Invadit : celeres volitant per inane favillæ,
Evolat & teter per multa volumina fumus.
Mox crepitare ignes, fumusque undare per æthra
Denſus, præfulva replens caligine cælos,
Aureaque inſiliunt lambentes ſidera flammæ:
Nec vires hominum, profuſa aut flumina proſunt.

Omnia

* *Vide Litt.* Y. ** *Chronicon Hirſaugienſe ait ab Hunnis eſſe incenſum, cum Germaniam paſſim devaſtarent.*

Omnia Vulcanus vorat, atris omnia flammis
In cineres collapſa ruunt: Lacrymabile viſu!
Ac mox ex omni manant incendia tecto:
Non ſecus, ac flavas ſtipula una accendit ariſtas.
Omnia flamma rapit, conſumunt omnia flammæ,
Turbidus eſt aër fumo, lateque vagatur
Fumivomus vortex: ſacris neque parcitur aris,
Non Templis, adytisque Deûm: Vulcania peſtis
Abſumit chartas, Archivia plenaque ſcriptis.
Heu miſeranda dies, carbone notanda nigello!
Unâ luce *DEUM ſedes* populata *Beatas*,
Et quæ difficili ſumptu, longoque labore
Secula per quatuor conſtructa fuêre (dolendum)
Cuncta jacent flammis, triſtique ſepulta favillâ.
Hinc quoque non conſtat centum & bis quinque viginti
Annis qui fuerint, quales *Urbisq; Beatæ*
Abbates: quoniam omnia deſolata jacebant.
Attamen intereà Mogonæ Moderator habenæ
(Qui de gente Palatinâ Rheniique vetuſtâ
Stirpe ſatus Comitum) proprio prænomine dictus
Aribo, Concilium celebravit in *Urbe beatâ:*
Quod foret hæc ſtatio cunctis placidiſſima Muſis,
Doctorumque Altrix non infœcunda Virorum.
Aſt *ABBAS OTTO* quonam diſceſſerit anno,
Conſtat id haud nobis: certò veruntamen illud
A Jove dat pietas ſperare; videbimus illum
Tempora poſt vitæ Cælorum in ſede ſupremâ
Immortalem, alti nutu Jovis aſtra tenentem.

* * * * * * * * *

BENEVOLE LECTOR!

NOta, quod licet *OTTONIS* hujus Succeſſores ob conflagrationem Eccleſiæ, aliasque temporum injurias per annos 155. interciderint; tamen interea temporis *WALTHERUS* I. alii: *GUALTERUS*, Comes Palatinus *de Tubingen* electus An. 1134. *Epiſcopus Auguſtanus*, Vir ſpectatæ Virtutis, morum diſciplinâ pollens, poſtquam Oceano valdè turbulento decumanos inter fluctus ſuam phaſelum inconcuſſam deduxit ad portum ſecurus, Reſignato Epiſcopatu An. 1150. amore quietis internæ â ſtatu publico ad privatum anhelans, ad nobiliſſimum *Ordinis S. Benedicti Seligenſtadienſe* (aſſumpto Cucullo) Monaſterium in Oſtro-Franciâ quinque leucis Francofurto diſſitum, & ab *Eginhardo* Caroli Magni

Archicancellario conditum ſeceſſit, ac è vitâ piiſſimè deceſſit An. 1153. die 3. Septembris, in dicto Seligenſtad. Monaſterio honorificè ſepultus: ità *Eximius p. Corbinianus Khamm Benedictinus Auguſtanus de verbo ad verbum in ſuâ Hierarchiâ Auguſtanâ editâ* An. 1709. Claſſ. 3. Sect. 1. mihi pag. 215.

* * * * * * * *

IX. ABBAS GODEFRIDUS I.

Rexit Abbatiam ſub annum Chriſti 1200. *Hic eſt primus*, qui pro ſe & ſucceſſoribus ſuis Mitram Româ accepit.*

* * *

POſt mala tanta, novum veluti prænobile ſidus
ABBAS præficitur *GODEFRIDUS* nomine *Primus*:
Non minùs hic virtute fuit, quàm ſanguine clarus.
Sæpius is variâ curarum mole gravatus,
Anxius atque graves verſat ſub pectore curas:
Quomodò reſtituat, ſacras inſtauret & ædes,
Atque *DEI* reparet fanum: quod triſtis ubique
Fumus, & indignus fœdaverat undique luror.
O Velox pietas! nam nuper is omnia flammis
Sordida, ſcrupoſis tumulata ſacraria penè
Aggeribus reparat ſolus ſpem præter, opemque
Attulit, & lætè celer omnia reſtauravit;
Auſpice namque *DEO*, Diviſque faventibus unà
Ille repurgavit vaſta atria: Templa, laresque
Cœnobii exuſtos facit hic exurgere in altum,
Strataque tecta ſolo ſolito ſplendeſcere cultu.
Ut ſi fortè roſas, & candida lilia nimbus
Contudit, & nitidum virgis decuſſit honorem:
Horrent informes ſpinæ, fruſtraque petiti
Quærentem fallunt nudato ſtipite flores.
Mox ubi tranquilli clementior aura Favonî
Ceperit, excluſo ſpirare benigniùs Auſtro,
Protinùs ad placidos flatus ſua germina rami
Producunt, ſolitoque nitent virgulta decore.
Inclyta fama viri Latiam penetravit ad urbem,
Romanaque fuit multum dilectus in Aulâ:
Hinc & *Apoſtolicæ Tricoroniger* ille *Cathedræ*
Maximus Antiſtes, *CHRISTIq; Vicarius* illi,
Omnibus ac reliquis quoque *Succeſſoribus* ejus,
Româ gemmiferam miſit, dedit atque Tiaram.

Sed

* *Vide Litt.* DD.

Sed quid homo? exigui ſpolium niſi temporis, atque
In tenues abiens evanida gloria fumos?
Sol fuit hic noſtri, & *Godefridus* gloria clauſtri:
Occidit aſt ehêu! Patres & adivit avitos;
Hinc nunc cæleſti fulgens trabeatus in Oſtro
Sceptra Magiſtratûs tenet, & gerit ille polorum.

EPITAPHIUM.

Munere Papali qui *Mitrâ Pontificali*
Primus adornatus, jacet hic *GODEFRIDUS* humatus.
Hic *Præſul* factus, perfecit *Præſulis* actus
Ut patet ex factis ſancteque probeque peractis.
Inſtructor morum fuit, & Præceſſor honorum:
Pervigili curâ tenuit Clauſtro ſua jura,
Et nulli ceſſit, nihil & de jure receſſit,
Conſilio plenus, facie vultuque ſerenus,
Tutor adeſſe gregi, ſtuduitque incumbere Legi,
Se ratione regi, pia vota & reddere Regi.
Verbo: Vir fidus, *GODEFRIDUS* nobile ſidus.
Qui legis hæc, ora: ut Mater Virgoque decora
Iſti ſolamen divinitùs impetret. *Amen.*

* * * * * * * * *

X. ABBAS GEBENO.

Abbatiam S. Albani Moguntinenſem unà cum noſtrâ Seligenſtadienſi ſimul adminiſtravit An. 1219.

* * *

Vix hunc abſtulerat rapidi inclementia Fati,
Cœnobii oblatas *Gebeno* tunc cepit habenas.
Hunc vitæ evexit probitas, & nobile ſtemma,
Et nivei mores, & mens infracta periclis:
Illi namque animum donârat Juppiter altum,
Indideratque Venus decus oris, Phœbus acumen
Ingenii, Pallas genium, vociſque leporem
Mercurius: Summis fuit hinc acceptus & imis.
Veri ſemper amans, quoque libertate loquendi
Prædituſ; ut nigrum, quod nigrum; & candida, quæ ſunt
Candida: forti animô & rectâ cervice, vel ipſum
Dicat in os Penthêi, Bromioque furentis Agaves.
Candida Mens illi, nullis circumlita fucis,
Sincerusque animus: manſuetus, comis in omnes,
Fraude doloque carens: Mitram hinc meritusque ſecundam,

Præſul

Præsul & invitus dum deniqúe cogitur esse
Ad Sanctum Albanum, Mogonis lat nobile Clauſtrum.
Sed nihil in rebus ſtabile eſt Mortalibus uſquam
Et fixum: hinc noſtris nimis âh! feſtinus, ab oris
Ivit in Elyſios felici funere campos,
Vivit ubi lætus, cuncti diſcriminis expers.

* * * * * * * * *

XI. ABBAS STARKARDUS I.

Vixit Anno Incarnati Verbi 1221.

* * *

STemmate præclaro, proavisque potentibus ortus,
Succedit *Gebeno Starkardus*: agalmate in albo
Tres geſtans Roſulas, Regali Murice tinctas.
Hæc *Roſa*, at eccè novem vix hic vernaverat annis,
Tunc experta fuit, quàm vita hæc noſtra caduca.
Scilicet altus honos, flos eſt & Gloria fœni:
Naſcitur & floret, pariter cum Sole caditque.
Nos tamen Alcinoi cultos hunc credimus hortos
Incolere, ac læto Heſperidum reſidere Roſeto,

* * * * * * * * *

XII. ABBAS GODEFRIDUS II.

Abbatiam noſtram Macariopolitanam gubernavit Anno Chriſti 1230.

* * *

STARKARDUM ſequitur *Præſul Godefridus*, avitâ
Proſapiâ genitus, præcelsâ ſtirpeque natus:
Annuus at nonum vix ſol confecerat Orbem,
Tunc & hic ad Superos abiit, Cælique triumphos:
Aſt Vitæ brevitas penſatur laude perenni.

* * * * * * * * *

XIII. ABBAS ARNOLDUS.

Præfuit Anno Dominicæ Incarnationis 1247. *Sub hujus Regimine Cives hujates murum à ſe dejectum readificare coacti ſunt.* *

* * *

POſt hunc *ARNOLDUS* geſſit moderamina Clauſtri,
Majorum haud ulli cedens pietate, fideque.

Sed,

* *Vide Litteram* R.

Sed, poſtquàm paucis *Abbas* hic præfuit annis,
Antiquæ probitatis honos, rectiſque Miniſter
Integer, ac nulli pectus penetrabile probro;
Jam vitæ, laudisque ſatur *Prælatus*, & acri
Res animo tractans, meritisque illuſtribus augens,
Naturæ Humanæ communia debita ſolvit:
Ejus at æternùm laus eſt poſt fata ſuperſtes.

*** *** ***

XIV. ABBAS STARKARDUS II.

Rexit Monaſterium ſub annis 1258. *&* 1264. *Hic fundavit Vicariam in ſummâ æde Moguntinâ* *, *cujus Collatio perpetuò ſpectat ad Abbatem Seligenſtadienſem: Donatione factâ Eccleſiæ in Nuheim, cum omnibus appendicibus ſuis. Extrà incorporata eſt Noſtræ Abbatiæ parochia Seligenſtadienſis* ** *per Gerardum Archiepiſcopum Moguntinum* 1255.

* * *

HUnc mox gente ſatus clarâ *STARKARDUS* equeſtri
(Cujus agalma tribus decoratum clavibus aurêis)
Excepit: fuit *Abbate* hoc non ditior alter,
Nec famâ major, nec Fortunatior unquàm:
Nam Fortunam habuit ſuper omnia vota fluentem.
Indè *Moguntinâ ſummâ* fundavit in *æde*
Ipſe *Vicariam:* cujus *Collatio* ſemper
Eſt penes *Abbatem* noſtrum, illiuſque ſequaces
Prælatos: quod jus hodierno & tempore durat.
Hoc quoque *STARKARDO* clauſtrum moderante *Secundo*
Supremus Mogonûm Antiſtes, Princepsque *Gerardus*
(Qui *Waldgravenſis* natus *Comes* atque Dynaſta,
Providus & magnus noſtrûm fueratque *Patronus*)
Macariopoleos parochiam incorporat ultrò
Noſtræ *Abbatiæ*. Multis feliciter actis
Ac laudabiliter geſtis: Vâh! invida fata
STARKARDUM abripiunt, pyliis qui vivere sêclis
Dignus erat: ſummasque arces penetravit Olympi.

*** *** ***

XV. ABBAS HERMANNUS.

Sedit ſub annis Chriſti 1266. *&* 1268. *curavit ab Alexandro IV. Privilegia confirmari.* ***

* * *

IRridit ut hora horam, velut unda reciprocat undam:
STARKARDO Abbati noſtro ſic ordine recto

* *Vide Litt.* C. ** *Vide Litt.* D. *** *Vide Litt.* Q.

Succeſsêre aliqui *Prælati*, nomine tantùm
Qui nobis noti: quorum præſtantia facta,
Lucifuga expunxit victuro oblivio ab Albo.
Hermannus Præſul quatuor vix ſederat annis,
Et terris exit, Cælos ut lætior intret:
Mortuus ingenti at pollet cum laude per orbem,
Omnes nam terras implêrat nomine claro.

*** *** ***

XVI. ABBAS CONRADUS.

Archimandritam laudabiliter egit An. 1278.

* * *

CONRADUS ſuccedit ei Vir providus: is ſub
Principe Wernero Mogono Archipræſule (priſco
Qui *Comitum de Falckenſtein* eſt ſtemmate natus)
Geiſſelbach reliquis *cum dependentibus* indè
Pagis & vicis, quos cara ob tempora dudùm
Vendiderant alii, magno ſatis ære redemit.
Sed, cum præfuerat dignè bis quinque per annos,
Lurida mors illum nobis invidit & orbi:
Sed benè cêu vixit, benè ſic requieſcit in aſtris.

*** *** ***

XVII. ABBAS GODEFRIDUS III.

Legitur Abbatiam rexiſſe eodem anno 1278. *Quo Dominus Prædeceſſor è vivis exceſſiſſe videtur.*

* * *

EXcipit hunc *Abbas GODEFRIDUS Tertius:* Aſt quàm
Eſt fluxus, fragilis, vanus, brevis atque caducus
Mundi honor? Anno etenim (ſolium quo ſcandit) eodem
In pace obdormit, factus conviva Deorum.
Aſt immaturo *Godefridus* funere terris
Ereptus: vivet per ſecula mortuus ille.

*** *** ***

XVIII. ABBAS HENRICUS.

* *Gubernavit Eccleſiam Seligenſtadianam An.* 1285.
Sub hoc incorporata eſt Abbatiæ noſtræ per Gerardum ejus nominis II. Archiepiſcopum Mog. Eccleſia parochialis in Steinheim. 1294.

Poſt

* *Vide Litt.* E.

* * *

POst *Godefridum*, lituoque, pedoque, mitraque
Cingitur *HENRICUS:* quo præside *Præsule* nostro
Est unita Monasterio *Parochia* celebris
Urbis Steinhemiæ; Mogonis cum Mysta supremus
Atque sacri Imperii Archicancellarius esset
Alter Gerardus, natus *Baro Liber in Epstein.*
HENRICUS tandem senio, morbisque gravatus
E Vitæ ærumnis cessit, lætusque, libensque:
Fessaque mens terris, cæli requiescit in Arce.

*** *** ***

XIX. ABBAS THEODORICUS I.

Abbatem hic egit An. 1300.

* * *

DEin *THEODORICI primi* diademate vertex
Præsulis ornatur; Vir alto sanguine natus:
Sed vix septenis Abbas hic præfuit annis;
Tum mors eccè Virum tantum vâh! abripit: ejus
Exuvias tumulus, sed mentem possidet axis.
Qui legis hæc, vigila: manet hic en! exitus omnes;
Namque humanarum mors ultima meta viarum.

*** *** ***

XX. ABBAS GODEFRIDUS IV.

Præfuit hic anno salutis 1308.

* * *

MOX sequitur *Quartus Godefridus*, *Præsul* amatus:
Vir erat hic titulis, & stemmate clarus Avorum;
Pacis amans; Legum studiosus, inanis honoris
Verus contemptor, licet altâ stirpe creatus.
In solio binas sed vix numerârat aristas,
Mors inopina decus nostris hoc abstulit oris:
Cælo Animum, Terræ corpus donavit habendum:
Virtutis monumenta suæ immortalia linquens,
Vivet in æternum! quæ sors est maxima rerum.

*** *** ***

XXI. ABBAS WALPERTUS I.

Administravit Abbatiam An. 1310.

* * *

POsteà in *Abbatem Walpertus* nomine *Primus*
Eligitur, claro ac Heroum Sanguine natus.

Hûic genus â Proavis ingens, clarumque Paternæ
Nomen erat Virtutis: & ipſe acerrimus hoſtis
Morum pravorum fuit, & tutela proborum.
Ad clavum aſt binos vix ille reſederat annos,
Tum Pater ille ingens hominum Sator, atque Creator
Hunc vocat, ut ſedes adeat rutilantis Olympi.

*** *** ***

XXII. ABBAS THEODORICUS II.

Vixit hic An. Chriſti 1312.

* * *

WALPERTO *THEODORICUS* ſuccedit & *alter*,
Ingens laude virûm, meritis ingentior *Abbas*,
Quem ſuper eximium generis decus inclyta clarat
Gloria nobilium ſtudiorum, & pectoris alti
Munera: ſed binos quoque vix hic regnat & annos:
Ac illum rapuêre Deæ, fatalia nentes
Stamina, cum ſcirent moriturum tempore nullo,
Secula ſin illi canos, ſeniumque dediſſent:
Manibus at longam optamus cinerique quietem.

*** *** ***

XXIII. ABBAS WALPERTUS II.

Ad clavum Regiminis ſedit ſub annum Dominicæ incarnationis 1318.

* * *

POſt *Theodoricum* mitramque, pedumque capeſſit
Abbas Walpertus, qui nomine, reque *Secundus*
Semper erat: quia fauſta & proſpera cuncta cadebant.
Nil infauſtum unquàm vitâ tibi contigit omni
O *Walperte!* niſi cum Te mors ſuſtulit atra,
Cum vix annorum regeres Trieteride binâ.
Hûic vitam in cælis date Numina ſacra perennem.
Vivite, qui legitis, ſed cælica quærite: namque
In cineres tandem quoque gloria veſtra redibit.

*** *** ***

XXIV. ABBAS TILMANNUS I.

Præfuit An. 1324.

* * *

HUnc brevis ætatis *Tilmannus* nomine *Primus*
Subſequitur; cujus regimen duravit in annos

Vix

Vix binos : annis etenim juvenilibus , eheu !
Occidit : & mundum ſpernens migravit in altum
Æthra : Tonantiſono ſedem ſortitus in orbe :
Nos tamen hunc velut immaturo funere raptum
Flemus , & effuſis lacrymis fluitamus abundè.
Tot tantosque Viros , Patriæ noſtratis Atlantes,
Ordinis , ac noſtrûm fortiſſima fulcra Penatum,
Tam ſubitò vitâ defunctos , *Lector Amande*,
Fortè ſtupes ? ſed ſcito , ſic placuiſſe *Jehovæ* ;
Qui dat ſceptra ſuis , quêis vult , eademque repoſcit,
Cum lubet : emeritos ſuperas deducit ad arces,
Vaſallosque novos & ademptis faſcibus ornat :
Hæc ſeries rerum , ac fati mirabilis ordo
Perpetuat genus humanum , prohibetque ruinam.
Sed quo Muſa rapis mihi mentem , à tramite recto
Digreſſam ? numerato Viros Virtute probatos,
Ditatosque bonis animi , donisque beatos :
Quos honor explicitis latè ſuper æthera pennis
Deſpectâ tellure procul tulit atque locavit.
En ſe iterum produnt *Abbatum* lumina rara !
Romuleos credas Proceres , veteresque Camillos :
Quêis toto diffuſa micat Prudentia vultu,
Quos canus ſenſus , Sapientia miraque multo
Uſu geſtorum famoſos reddidit Orbi.

*** *** ***

XXV. ABBAS PETRUS I.

*Regimen * Abbatiæ habuit* 1326. *Quo itidem anno Matthias Sacræ Mogunt. Sedis Archiepiſcopus Parochiam in Altzenau & Michelbach incorporavit Abbatiæ Seligenſtadienſi tertio Calendas Octobris. Coadunata quoque ſunt Altaria SS. Crucis & Valentini in Eccleſia Parochiali Seligenſtadienſi* 1330.

* * *

Ilmannus fuerat cum mortuus, Infula *Petro*
Confertur : Qui vir magnæ probitatis & alto
Nomine Majorum clarus , ſed clarior actis
Ipſe ſuis : qui poſt diſcrimina plurima vitæ
Mortalis , poſt ſex annos feliciter actos,
Ad patrium læto contendit pectore cælum :
Nullus ubi ſævit Boreas , ubi nullus & imber,
Perpetuas celebrant ubi Sancti gaudia luces.

* *Vide Litteram* F.

*** *** ***

XXVI. ABBAS TILMANNUS II.

Præsedit hic ab Incarnatione Domini 1336.

* * *

POst hunc nè Clauſtri Rectore Quadriga careret,
Tilmanno imponunt Mitram fulgore coruſcam.
Nobili & illuſtri fuit hic Vir ſanguine natus,
Relligione piâ nutritus & artibus: egit
Abbatem vigilem, Fratrum Patrumque fidelem.
Aſt etiam è vivis poſt bina triennia ceſſit:
Mortuus in *CHRISTO* vivit pars magna ſalutis;
Qui legis hæc, illi pacem, requiemque precare.

*** *** ***

XXVII. ABBAS PETRUS II.

Sedit hic An. Chriſti 1343.

* * *

DEnuò ſufficitur *PETRUS*, Vir pectore fortis,
Totâque Auguſtus facie, ac ætate verendus.
Sed vix undecimum regimen retinebat in annum,
Et ſubitò miſerâ mundi de valle vocatus,
Lætus ad aſtriferos hic *Præſul* demigrat orbes.

*** *** ***

XXVIII. ABBAS GUNTRAMNUS I.

Moritur hic anno 1352.

* * *

MOx *GUNTRAMNUS* huic inſtat: Sed floris ad inſtar
Vix ortus, moritur; vitæ curſumque peregit,
Cum primum imperii necdum compleverat annum.
Sic vita haud vita eſt, ſed vitæ verius umbra:
Ibimus ah! omnes, omnes ſic ibitis, omnes
Huc ibunt: Naulumque Charonti exſolvere debent.
Is ſolus felix, verè dicique beatus
Ille poteſt ſolus; qui tandem funeris horam
Claudit fine bono, depoſt ut vivat Olympo.

XXIX. ABBAS CUNO I.

Eodem An. 1352. *eligitur.*

* * *

POst hunc eligitur *Prælatus* nomine *Cuno*
Primus: qui claris â Progenitoribus ortus.
Vir erat hic prudens, & ſacris faſcibus aptus:
Sed brevis atque fugax erat illi terminus ævi,
Nam tantùm binos *Abbas* transegit hic annos,
Clauſit & illuſtrem cita mors & ſplendida vitam.

XXX. ABBAS PETRUS III.

Præfuit hic An. Chriſti 1354.

* * *

AUrea promeriti poſt hunc reſerantur honoris
Templa *Petro*: Tythonia vivere ſecula dignus
Occidit, ah! anno primo, florentibus annis:
Cum ſibi, cumque ſuis, patriæque diutiùs ille
Vivere debuerat, prodeſſe ſimulque præeſſe.
O fragilis nimis, innumerisque obnoxia vita
Caſibus! O nimium brevis atque incerta, recedens
Fumi inſtar! nunc hic moritur; nunc ille; hodiè Tu,
Cras ego. Sic demum paulatim extinguimur omnes,
Non ſecus ac pecudes: Lanio quas ſervat ovili
Mactandas, nunc has ferro, nunc percutit illas,
Cras alias, poſt cras alias, ſic denique cunctas
Dilaniat: donec caulæ reddantur inanes.
Hanc igitur fragilem vitam contemnito, cujus
Principium eſt fletus, medium labor & dolor, at mors
Finis. Quis talem vitam niſi ſtultus amabit?
Vitam aliam ſperato, aliam affectato: ubi nullus
Eſt fletus, queſtus, nullus labor accidit, aut mors.

XXXI. ABBAS GUNTRAMNUS.

Vixit hic Anno 1355.

* * *

MOx onus imponunt *Prælati* grande *Secundo*
Guntramno, variâ Virtutum luce decoro.
Hûic erat ingenium ſolers in corpore ſano,

Officiis

Officiis aptum gravibus, diſcurrere gnarum:
Subtile & prudens oculatæ mentis acumen.
Confirmata modis longa experientia multis,
Magnaque dexteritas in agendis provida rebus.
Triſtia Mens inter prudens & læta, ſed æquis
Lancibus invariata: Vigor generoſus, & omni
Difficili & facili manus aſſuefacta labori:
Indè gravis meritis, canis maturus & annis,
Commendabiliter cum rexerat ille viginti
Annos atque octo: longo cum frigidus ævo
Cum Patribus tandem ſanctis in pace quievit.
Nos grati officii memores, huîc vota dicamus,
Ac optamus ei radioſa palatia cæli.

*** *** ***

XXXII. ABBAS FOLMARUS.

Abbatiæ gubernium geſſit An. 1383.

* * *

VItâ defuncto *Guntramno:* inſignia mitræ,
Pontificale pedum, veſtes, ſandalia ſacra
Cogitur accipere invitus *Folmarus:* avitâ
Stirpe ſatus, proles verè generoſa Parentum
Nobilium. Aſt poſtquam bis ſeptem floruit annis,
Mundanis feſſus curis ad ſidera cæli
Delatus, gelido liquit ſua membra ſepulchro.

*** *** ***

XXXIII. ABBAS WINTHERUS.

Præſedit Aſceterio An. 1397.

* * *

FOlmaro vitâ functo, quoque ritè ſepulto,
Conventus ſacrâ voluit decorare podêre
WINTHERUM: Fuerat qui verum Exemplar honeſti.
Mens erat hûic æqui cultrix, ac neſcia fœdi
Criminis, & conſtans animus: nullius avarus
Præter Honeſtatis, ſolidâ virtute venuſtus.
Tertius at decimo cum jam ſuccederet annus,
Cum gemitu & lacrymis Fratrumque Patrumque ſuorum,
Poſt varios caſus, infinitosque labores
Ad bona (quæ toto mens affectaverat ævo)
Tranſiit, in cinerem & corpus mortale ſolutum:
Mens petiit cælum, remanet comes atque Deorum.

*** *** ***

XXXIV. ABBAS LUMPHO.

Sedit hic An. Christi 1403. *Sub eo incorporatæ sunt* * *Ecclesiæ parochiales in Grombach & Stockstadt Abbatiæ Seligenstadiensi, per Bonifacium Papam anno Pontificatûs sui septimo: quas Incorporationes vidit, laudavit & approbavit JOANNES Sanctæ Sedis Moguntinæ ARCHIEPISCOPUS in campis propè Francofordiam ipsâ die Sanctorum SERGII & BACCHI. An. Domini* 1400. ab Innocentio VIII. impetravit quoque confirmationem privilegiorum. **

* * *

AD *prælaturam* de post attollitur, altâ
Progenie natus, clarisque parentibus ortus
Lumpho: qui nostri decus admirabile claustri.
Grombach & *Stockstadt*, regimen cum *Lumpho* teneret,
Unà cum decimis nostræ coaduniit ædi
Ac *Mensæ Abbatis* Latiæ *Bonifacius* Aulæ
Juppiter, atque satis firmo diplomate sanxit.
Quod quoque laudavit, vidit, simul atque probavit
Antistes alter de Nassau stirpe Dynasta
Atque Comes: *Mogonum* simul *Archiepiscopus* altus.
Hujus testis erat locus is, quà Mœnia Francûm
Mœnus adit, nomenque urbi vada pristina linquunt.
Annos cum *Lumpho præsul* sex atque viginti
Præfuit, in terram Lymphæ fluitantis adinstar
Dilapsus, senio discessit in æthera fractus.
Ejus corpus humo, mens autem reddita cælo,
Nunc sedet ante *DEUM*, meritis ornata laborum.

*** *** ***

XXXV. ABBAS CUNO II. de Beldersheim.

Reperitur rexisse sub annis 1430. & 33. *Sub quo An.* 1432. *hic celebratum capitulum provinciale in cœnobio* 3. *Maii. Hic Abbas renovari fecit jurisdictionalia Villæ nostræ in Nidersteinheim An.* 1449. *& à Synodo Basileensi obtinuit confirmationem generalem omnium privilegiorum.* ***

* * *

EXcipit extinctum *Lumphonem Cuno Secundus*
Antiquâ *de Beldersheim* propagine natus,
Vicinâ in Wetterraviâ: Vir sanguine clarus,

* *Vide Litt.* G. ** *Vide Litt.* X. *** *Vide Litt.* S.

Et Patris & Proavi clypeos, præclaraque ſigna
Oſtentans: etiam quæ ſecla moderna ſtupeſcunt.
Hunc Virtutis honos, locuplesque peritia rerum,
Doctrinæque vigor, mens & ſolerter in omnes
Conſilii formas pro re ſe vertere pernix,
Vexit ad excelſum meritorum culmen honorum.
Inflammata gerens pietatis pectora zelo,
Multa reformavit: veterum veſtigia morum
Induxit, nitidum templi quærensque decorem,
Aras reſtaurat, renovari juraque curat
Ac confirmari, veluti teſtantur avita
De *Niderſteinheim* nobis documenta relicta.
Tandem ætate gravis, lapſoque in corpora morbo,
Mentis ad extremam vitæ felicibus horam
Auſpiciis veniens, terras mutavit olympo;
Ejus & in cinerem mors vertit pallida corpus,
Illius at nomen ſero durabit in orbe.

*** *** ***

XXXVI. ABBAS REINHARDUS à Mosbach.

Præfuit ſub Anno 1458. *hic impellente S. Moguntinenſis Eccleſiæ Archiepiſcopo* DIETHERO *(qui uti clerum, ita & Religioſos ſolicitè reformavit) ſe & Aſceterium noſtrum Unionis Burſfeldenſis Reformationi ſubjecit.* An. 1483. 2. *Jun. obiit.*

* * *

AD ſuperas poſtquàm *CUNO* volitaverat Arces,
REINARDO â Mosbach votis concordibus, auro
Mitræ intertextæ digni tribuuntur honores.
Stemmate præclaro hic, proavisque potentibus ortus,
Totus imaginibus cui Circulus undique fulget.
Extulit at probitas ingens, pudor almus, & omnis
(Ut paucis dicam) Divina, Humanaque Virtus.
Namque erat illius conſtans ſententia ſemper
In commune bonum totas inſumere vires.
Sed cum flammivomas pietatis hebeſcere flammas,
Ac Monachos veterum veſtigia linquere Patrum
Cerneret: ad priſcos mores, Vitæque rigorem
Attrahere ille ſuos tentans, mox convocat omnes,
Ac ad eos blandè (fuerat Vir namque diſertus,
Eloquioque potens) graviter ſic ore perorat
REINHARDUS: Nos, quos *Benedicti Regula Patris*
Fœdere perpetuo, nexu junxitque perenni,

Scimus:

Scimus : Quot sêclis *Cassimi sacra propago*
Floruerit, longos fueritque imitata per annos
Acta *Patris :* Divos auxit, ditavit olympum
Cive novo : dextrè, multis vertentibus Annis,
Petri Naviculam scopulosa per æquora rexit.
Felix progenies ! tanto, talique *Parente*
Dignaq; Posteritas ! nisi degenerâsset ab illo.
Attamen hoc minimè mirum, cum cuncta seneſcant,
Et nihil Humanis unquam durabile rebus:
Omnia paulatim quoque florentissima regna,
Nunc ævo consumpta jacent : Miracula mundi
In cineres abiêre suos, rapit omnia tempus,
Tempus & immutat, quæ sunt mortalia, cuncta.
Ad latas quam, quæso, vias defleximus omnes ?
Hinc Fraternus Amor tepet, hinc spes pallida languet,
Ægra Fides fragili vix sustentata bacillo :
Exulat â clauſtris Astræa, modestaque Vitæ
Integritas, jam Disciplina vetusta fatiscit,
Consenuit probitas, & morti proxima languet.
Hêu ! mores periêre boni, ampla licentia regnat :
Sanctorum nunc lapsus honor, nunc sancta recessit
Relligio, nunc pristina Disciplina sepulta.
Templa ruunt, passim squallent Altaria, & ehêu !
Plus radiare solent Monachûm calcaria, sacræ
Aræ quam Divûm : Veterum conversio morum
Est ubi facta Diis ? ubi, quæso, fervida & ardens
Est Pietas ? ubi sunt indicta silentia clauſtris ?
Jam Decus & Monachûm splendor, jam proxima cælo
Gloria strata jacet, morum squallore sepulta.
Stultum (sit verbo venia) *est promittere multa,*
Nec post *Velle* Diis *persolvere* debita *vota.*
Otia, deliciæ, Monachorum pectora solvunt,
In Veneremque trahunt : pudet ah ! pudet ista fateri.
Sunt tamen hi Mores & Regula temporis hujus,
Nam nimiâ sumus eheu ! libertate soluti.
Nullus Amor socii, nulla in commune voluntas,
Non dictis factisque fides, sua cûique Cupido
Lex est, & sibi quisque Deus : sic nempè necesse est,
Relligio cum spreta jacet, contemnitur. Ergò
Instaurare Domum decet, & reparare ruinam :
Nè subitò forsan *DEUS* excandescat, & istud
Tam deforme nefas, odio ulciscatur acerbo :
Nam Divina quidem sese movet ultio lentis

Paſſibus, at ſubitâ tandem face fulmina torquet:
Nec peccata hominum palpat, nec inulta relinquit.
Propterea legum * memores & moris aviti,
Oro, relegemus priſcûm veſtigia Patrum,
Ac vitæ melioris iter repetamus, & altâ
Mente *DEI* leges noctuque diuque ſequamur,
Atque reſumamus præcepta ſalubria morum
Unanimes: lapſumque ſimul reparemus honorem.
Mandat id Almificus noſter *Patriarcha*, ſacratum
Cujus nos habitum gerimus: Sic *Regula Patris*,
Quam profitemur, habet *Benedicti* cælitis: illud
Florida perſuadet nobis *Burſfeldica* Patrum
Unio, Teutonico toti celeberrima Mundo:
Filia *Nurſiaci* non ultima *Sanguinis* Heres,
Pontificum plantata manu: Stirps inclyta, germen
Nobile, multiplices Arbor diffuſa per oras:
Virtutum centrum, quoque Relligionis Avitæ
Aurea Metropolis. Tacuit, dum dixerat iſta:
Non etenim poterat lacrymas cohibere cadentes.
Aſſenſêre, quibus fuerat mens ſana: ſed ehêu!
Diſſensêre alii, ſacra quêis haud Regula cordi:
Et ſic ſcinduntur ſtudia in contraria. Rixæ
Hinc increbreſcunt, oriuntur jurgia Fratrum,
Oppoſitis ardent ſtudiis, verbisque nefandis.
Omnia nil curat *Reinardus*, pectore fortis:
Arbor ut intonſi quæ vertice conſita montis
Spernit inulta minas ſlabrorum ac turbinis atri:
Quippè ſolo, molisque ſuæ ſtat viribus ingens.
Reſtitit ille malis, nec vim, furiasque procacis
Invidiæ metuit: Sed dum conſtantius omnes
Laxorum impugnat mores, illisque reſiſtit,
Strenuus inducens veterum veſtigia Patrum;
Contrà illum Fratrum Gens Relligioſa coorta,
Plurima commotâ jactabat mente per auras,
Hinc atque hinc gliſcente feris clamoribus irâ.
Hæccè videns Mogonûm Antiſtes *Dietherus*, avito
Iſenburgenſi Comitum de ſtemmate natus:
Ille Reformator Monachorum, Limaque Cleri,
Mox ſe interpoſuit, compeſcuit atque malignos:
Mandans ut Monachi præluſtri ſtirpe creati,
Florerent morum mage Relligione ſacrorum.
Hoc Pietas, hoc ſacra Fides, hoc integra ſuadet

Relli-

* *Vide Litt.* E E.

Relligio : hoc mores , digni cæleſtibus urgent.
Introducta fuit ſic *Obſervantia Patrum*
De Bursfeld tandem : Sementis cœptaque morum,
Et vitæ in melius formandæ ſemina jacta.
Tantæ molis erat priſcos inducere mores.
O Ter felicem *Reinardum* ! tanta patravit
Qui pro Cœnobii noſtri , Clauſtrique ſalute;
Nam cêu vir fortis decumana pericula ſemper
Deſpicit , & tanto ſurgentes æquore fluctus,
Jurgia nec fratrum , dicteria velvè malorum
Illius fregêre animum , vel pectora turbant.
Nurſia plaude ! ſacer *Benedicti* en ! *Ordo* refloret,
Et tanquam , primo quæ Vere repullulat , arbor
Se reparat , frugemque facit ſpem floribus amplam.
Perge modò , atque tuis ſint omnia proſpera votis,
Nomen , Honorque tuus creſcant creſcentibus annis :
Poſteritas Te ſacra canet , dumque aurea volvet
Aſtra polus , memori ſemper celebraberis ævo,
Ac immortalem cum laude merebere famam.
Poſt tot conflictus , poſt tot certamina ſacra,
Tandem *Reinhardus* zelo præfervidus *Abbas*
Atque *Reformator Primus* : poſt quinque peracta
Integra luſtra , gravis ſenio Pater , ultima Fratrum
Circumſtante choro felici tempora curſu
Clauſit : & æternæ Divorum eſt additus Aulæ,
Luce *PETRO* & *MARCELLINO* ſacrâ atque dicatâ,
Quæ feſtiva dies *Junî* ſolet eſſe ſecunda.

* * * * * * * *

D. JACOBUS à Stegh.

Abbas S. Pauli in Trajecto mortuo Reinhardo â Mosbach , tanquam Viſitator curam & Regimen Monaſterii retinuit : uſque ad electionem novi Abbatis.

* * *

MOreq; Majorum *Reinhardo* ritè ſepulto,
Nè fors facta labet nuper reparatio morum,
Aut aliud damnum patiatur nobile Clauſtrum:
Tradidit ad tempus regimen *Burſfeldica Patrum*
Unio , *JACOBO à Stegh :* qui tunc temporis *Abbas*
Et *Prælatus* erat *Trajecti* ad flumina flavi
Magna Moſæ , Belgis qui famoſiſſimus amnis.

*** *** ***

XXXVII. ABBAS JOANNES II. de Colnhauſen.

Hic Abbas Monaſterii Sponheimenſis, poſt obitum Reinhardi An. 1483. 17. *Julii conſenſu Eminentiſſimi Domini Alberti Adminiſtratoris Moguntini ad Abbatiam Seligenſtadienſem translatus fuit: Hic Monaſterium reformare perrexit, multaq; bona eidem præſtitit.* Innocentius Papa An.* 1490. *Pontificatûs ſui anno* 6to *conceſſit ipſi. Quatenùs parochia Seligenſtadienſis & Stockſtadienſis deficientibus Religioſis poſſint & valeant per presbyteros Seculares* ad nutum Domini Abbatis amovibiles *regi & gubernari. Præfuit & profuit annis* 12. *obiit* 1495. *die* 3. Januarii. *Sub eo quoque Vicaria fundata Moguntiæ in Eccleſiâ B. V. M. ad Gradus.*

* * *

Ed quoniam meliùs propriis eſt bobus arare,
Quam conductitiis uti: & magè quilibet optat
Indigenis parere ſuis, peregrina recuſans
Imperia, & duris ſubducit colla lupatis.
Hinc Aſceterio cælo providit ab alto
Omnipotens: *Seligenſtadii* Venerabilis *ABBAS*
Eligitur dum per concordia vota *JOANNES,*
De Colnhauſanâ lumen memorabile *Gente.*
Moxque Moguntinæ ſedis pia vota ſupremus
Approbat Antiſtes: meritam quoque plena decore
Cæſariem ſacra mitra tegit: dextræque *Joannis*
Officio benedicta ſuo datur aurea Virga.
Vir erat ingenio excellens, in rebus agendis
Providus ac cautus, Vitiorum cenſor & oſor,
Invigilans veterum pro Relligione ſacrorum:
Inſontesque tegens, pœnis reprobosque coërcens.
Paſſus hic invidiam multorum, dictaque Fratrum
Paſſus acerba ſatis: ſed pertulit omnia virtus,
Virtus fixa ſuis ſemper radicibus hærens,
Clareſcensque malo, viresque â vulnere ſumens.
Pravorum quascunque minas, dicteria ſalſa,
Ærumnasque tulit: bona plurima præſtitit idem,
Atque *Reformator* morum fuit ille *ſecundus*;
Prædeceſſoris Veſtigia namque ſecutus,
Laxorum morum noctem ſubmovit opacam;
In melius ſacros ritus & avita reduxit
Ille ſtatuta Patrum: quorum documenta Nepotes

Uſque

* *Vide Litteras* H. & I.

Uſque hodiè retinent, & adhuc veſtigia ſervant.
Morum erat Exemplar, quoque Relligionis imago:
Hinc Pietas, hinc Relligio producere fruges
Incepêre ſuas: tantoque ardore refulſit,
Inque jubar tantum noſtrum Venerabile Clauſtrum
Crevit; ut & multos ex circumſtantibus ad ſe
Traxerit. Aſt, paucis ut dicam multa, ſub illo
Relligio viruit, pax & concordia fulſit.
Floruit & verè vitæ cæleſtis imago,
Diſciplina vetus quoniam introducta vigebat.
Bis ſex atque duos, hic cum benè rexerat annos,
Vitæ Parca ferox en! ſtamina rumpit: iterque
Ire per obſequium nulli remeabile juſſit.
Nobilium Abbatum fuit *ultimus* ordine: Vos hinc
Diſcite (Vulgari geniti qui Sanguine) quando
Ferrea nec nobis voluerunt Fata, nec ullis
Parcere Nobilibus, patientiùs ire ſub umbras.

***

XXXVIII. ABBAS THOMAS.

* *Electus hic An.* 1495. *Præfuit annis* 14. *mortuus* 1509. *Quarto idus Januarii. Sub quo* 1496. *Dominicâ 4ta poſt paſcha hic Capitulum Annale celebratum fuit. Hic à Maximiliano Imp. obtinuit confirmationem privilegiorum, &c.*

***

POſt hunc, *Abbatem* votis ardentibus optant
Eſſe Patres, *Thomam*: Qui vir Venerabilis, atque
Dotibus illuſtris raris, uſuque peritus
Aſſiduo: Terram membris habitabat, olympum
Mente: nec â ſtudiis potuit vel talibus unquam
Divelli: Pietas imis innata medullis.
Non illum terrenus Amor, non ulla caduci
Cura boni, non ſpes vitæ, non triſtis imago
Horrificæ mortis, nec honor, nec fama movebat:
Virtutis non pauca ſuæ monumenta reliquit.
Hoc circà Tempus, noſtrum quàm plurima paſſum
Damna monaſterium: Vecors nàm Ruſtica pubes
In formidandum ſubitò transverſa furorem,
Legitimos Dominos cæcè furialibus armis
Invadit, juga Nobilium renuitque ſubire:
Sicque incondito permiſcet cuncta tumultu.

Hinc

* *Vide Litt.* K.

Hinc oritur bellum, verſiſque in pila ligones,
Et curvæ falces rigidos vertuntur in enſes.
Nam ſtolida è pagis paſſim villatica turba,
Ac Gens agreſtis, Superis, Hominiſque rebellis,
Contrà legitimos Dominos glomeramine denſo
Inſurgit, furit, & mandata ſubire recuſat.
Hinc hominum variæ cædes, & prælia nata,
Armorumque fragor, clangorque per arva remugit:
Rura rubent, multâ tepet orbis cæde, profuſo
Sanguine Terra madet: Superis, ſacrataque Divis
Templa profanantur: Monachûm populantur & ædes:
Oppida aduruntur, delentur funditùs arces,
Villas & pagos Vulcanus devorat: Arva
Paſſim deſolata jacent & jugera, turbis
Omnia volvuntur variis, ſurſum atque deorſum;
Haud aliter, quàm ſi rabies infanda luporum
Jejuniâ compulſa fame, ſtat faucibus atris
Atque inhiat prædæ, pecora inque bidentia ſævit.
Sæpiùs undabant humano ſanguine rivi,
Danubius, Mœnus, crebrò Rhenusque bicornis,
Sanguine cæſorum tumidus: ſed nemo referre
Condignè poterit cædes, homicidia, furta
Sacrilegæ turbæ, execrandaque facta patrata.
Cum ſic arderet bello Germania tota,
Tandem etiam noſtras ædes crudelis & atra
Ruſtica Tempeſtas, nimis ehêu! corripit iſta.
Cives nam hujates (noſtro Gens invida clauſtro,
Ardeſcens furiis & atratâ bile tumeſcens)
Illud diripiunt, populantur, & omnia vaſtant,
Cêuque Monaſterii Dominis, ſibi ad omnia claves
Extradi poſcunt: Quod eis dum jure negatur,
Illas vi rapiunt (Quid non veſania tentat
Brutalis?) ſolitos reditus, cenſusque levantes:
Intruſi hi Domini, quas nobis jure tenentur,
Solvere detrectant decimas, & plura nefanda
Committunt, patrantque: pudet, quæ dicere fuſè.
Hos rabidos inter plebis, populique tumultus,
Ceu petra firma *Thomas* ſtetit imperterritus, uſque
Jura Aſceterii defenſans: denique prudens
Nauta velut, paulùm ſinuavit vela, rebellis
Donec ſeditio *Mopſorum* preſſa, furorque
Dirus, & effrenis domitata ſuperbia eorum
Cyclopum inconditorum: qui vomere ſpreto

Martis opus mallent, quàm campum ſcindere aratro.
Dum variis curis ſic exagitatus, iniquis
Ærumnisque *THOMAS* eſſet jactatus hic Abbas,
Ac quartum decimum necdum compleverat Annum,
Exceſſit terris, & ad aſtra ſuperna migravit:
Ejus magna tamen poſt funera Fama remanſit.

* * *

XXXIX. ABBAS MARCELLINUS.

* *Hic in Abbatem electus. Hic impetravit à Leone X. privilegium & litteras, quibus mandatur Archiepiſcopo Moguntino, & aliis, ut Abbatem & Conventum Seligenſtadienſem in pacifica poſſeſſione Parochiæ Seligenſtadienſis contrà quoscunque contradictores manuteneant.* Præfuit annis 9. *obiit An.* 1518. 6*to idus Auguſti.*

* * *

MARCELLINUS eum ſequitur: Vir candidus ore
Ac animo: prudens, vigil, ac digniſſimus Ædis
Abbas: Prælati dignus tractare ſecurêis.
Mitis ei facies, clementia lumina, vultus
Et ſine fraude manus: quoque neſcia criminis ora.
Vix novies emenſus iter cæleſtia Phœbus
Sidera tranſierat, per plura pericula vectus,
Carnis hic exuvias poſuit, terrâque relictâ
Tranſiit ad Superos, ſummo fruiturus Olympo.
Eſt ubi ver æternum, ubi pax æterna, ubi ſemper
Lucidus apparet Titan, nullisque tenebris
Læditur alma dies: Zephyri ſed blandior aurâ
Spirat, & ambroſiæ lætiſſima gramina mulcet.

* * *

XL. ABBAS GEORGIUS.

Hic 1518. *electus, ſedit annis* 7. *è vivis exceſſit ſexto Nonas Octobris.* ** *Sub hoc Eminentiſſimus Archiepiſcopus Moguntinus Albertus, incorporationem Eccleſiæ parochialis S. NICOLAI in MINORI CROTZENBURG factam Abbatiæ Seligenſtadienſi per LEONEM PONTIFICEM, certas ob cauſas denuò approbavit & confirmavit Anno* 1519.

* * *

SUccedit magnâ Virtute *GEORGIUS ABBAS,*
Et Pater, & Paſtor noſtræ meritiſſimus ædis.

* *Vide Litt.* V. ** *Vide Litt.* CC.

Insignis pietate Senex, fugitiva relinquens
Gaudia, & ad cælum nixu conversus anhelo,
Incaluit semper Patriæ cælestis amore.
Ingenium solers erat illi, ac æmula cælo
Virginitas, humano animo constantia major,
Pectore nil metuens: dictu prudentia major.
Jura Monasterii defendit mordicus: Aris
Proque focis claustri stetit hic ut saxea cautes,
Ac rupes: ut enim assiduis quæ vapulat undis
Dura silex immota manet, nec murmura Ponti,
Nec metuit ventos, tempestatesque sonoras:
Sic inconcussum hic firmavit robore pectus,
Atque minas inimicorum, magnosque labores,
Ærumnasque tulit. Renovari plurima fecit
Jura, ævo fuerant quondam quæ perdita longo.
Præsulis in solio septem cum sederat annis,
Advenit tandem vitæ meta atque laborum,
Ac mors hunc rapuit, cæloque Astræa locavit.

* * * * * * * * *

XLI. ABBAS LUDOVICUS.

Eligitur anno 1525. *rexit annis sex. Obiit* 1531. *Nono Calendas Februarii.*

* * *

INdè *LUDOVICUS* mitramque pedumque capessit,
Ornatusque sacrâ Cidari fuit, atque Tiarâ.
Vir virtute potens, florens juvenilibus annis:
Nil mortale timens, solum cælestia quærens.
Hinc omnes Fratres hûic optant Nestoris æva;
Liquit is at Mundum, cum sex compleverat annos.
Nimirum cum dicta dies, præfixaque mortis
Tempora venerunt, tandem parere necesse est:
Luctari fortasse potes, potes edere questus,
Et timidam tardare moram: tamen ibis, & ibis
Serius aut citius, miseras tamen ibis ad umbras.

* * * * * * * * *

XLII. ABBAS HUGO.

Electus Anno 1531. *præfuit anno uno. Obiit* 1532. *Sexto Calendas Martii.*

* * *

LUdovicum sequitur multùm Venerabilis *HUGO:*
Vir pietate calens, longo dignissimus ævo.

Sed

Sed variæ hêu! ſortisque vices, mortisque figuræ,
Quas rerum Natura ſinit vertigine tantâ
Ludere in humanis rebus: Vitamque miſellam
Volvere perpetuo curſu, ſolidamque quietem
Turbare, & ſtabili nunquàm conſiſtere plantâ!
Nam ſubito fato diſcedit hic *annuus Abbas*,
Ac vix electus rapitur mortalibus ille.
Hic Vir, crede mihi, documentum nobile nobis:
Nam ſic inſtruimur, quam fluxa, brevisque ſit ætas,
Forma, Genus, Dotes, & quàm ſit perbreve Mundi
Imperium: quàm ſint mortalia cuncta caduca.
Illius ex fato tu diſcas, *Lector Amande*,
Quid tibi, dum vivis, ſit agendum, ſitque cavendum:
Ut quum finierit Lacheſis tua fila, dieſque
Ultimus addiderit membra hæc exhauſta ſepulchro,
Mors tibi grata quies fiat, portusque ſalutis.

* * * * * * * * *

XLIII. ABBAS NICOLAU

Sufficitur in locum defuncti An. 1532. *rexit annis* 4tuor
Obiit An. 1537. 14. *Calend. Februarii.*

* * *

EVivis poſtquàm præſul diſceſſerat *Hugo*,
Mox ſucceſſit ei *NICOLAUS* nomine *primus*.
Inſignis quem Relligio, vigilantia ſolers,
Inſontes mores, & inexpugnabile pectus
Fecerat Exemplum noſtro mirabile clauſtro.
In ſolio reſidens Faſtum neſcivit, & ægrâ
Semper mente tulit, tanquàm grave pondus, honorem.
Et tandem hic obiit: Quis enim mutaverit unquàm
Ambages ævi, deductaque penſa Sororum,
Et Jovis in ſolio, leges adamante notatas?
Hinc cum bis binos *Præſul* numerârat is annos,
Interiit rigido crudelis acinace mortis:
Non tamen interiit Virtus, ac inclyta fama;
Illius at meritum, decus atque perenne triumphat.

* * * * * * * * *

XLIV. ABBAS IGNATIUS.

Electus An. 1537. *Sedit annis undecim, menſibus* 4. *diebus* 9. *Obiit* 1548. 6to *Calendas Junii.*

* * *

POſtquàm hic extinctus; Mitram, Lituumque capeſſit
Morum Relligione micans *IGNATIUS*: ille

Sic formatus erat, tenerisque affectus ab annis;
Ut meritò credi posset mens alta Tonantis
Fabrefacta manu, cæloque egressa videri,
Sublimi semper volvens cælestia corde.
Hûic erat impavidum pectus, semperque voluntas
Justitiæ, Rectique memor: promptissima mentis
Ingeniique acies, Divûmque caloribus ardens,
Hinc oculis probitas hûic elucebat apertis.
Sed vix undecimi metam sol volverat anni,
Mox & hic ætheream superûm properavit ad Aulam.
Sic nec Nobilitas generis, nec firma juventus,
Nec Virtus, nec opes possunt disrumpere fata.

*** *** ***

XLV. ABBAS PAULUS OHL.

Succedit An. 1548. *præfuit annis* 9. *mortalibus valedixit* 1557. *pridie idus Februarii. Hic ab Electore Sebastiano* impetravit Libertatem ab omni telonio persolvendo, &c.*

* * *

HUnc dum sustulerat necis inclementia, nostri
Cœnobii oblatas *PAULUS* tunc cepit habenas.
Hic vir fortis erat, *PRÆLATI* falcibus aptus:
Justitia, Integritas animi, Vigilantia, cultus
Cælituum, simplex probitas & maxima raræ
Fama pudicitiæ, rerum Prudentia, toti
Fecerat huncce Virum venerandum, credite, mundo.
Nam Pietas illi semper comes, inter egenos
Effundebat opes: miseris erat omnibus Hospes,
Hinc cunctis gratus, venerabilis, atque suavis.
Attamen ille fuit passus mala plurima: Cives
Hujates etenim, cum tristia *bella* flagrarent
Marchgravii, rursùs solito pro more rebelles
Legitimo Domino, magno non absque tumultu
Seditiosa cohors per publica compita currens,
Præ rabieque furens, magnâ comitante senatûs
Parte, exclamabat: *Noster non amplius Archi-Præsul erit Dominus*, sed erit dêin Marchio Princeps
Legitimus Dominus, nos jam submissimus illi.
Dum sic fæx populi, dum sic, ductore Senatu,
Plebs insaniret, duce quodam nomine dicto
Gelb (erat hic populi os, erat hic os atque Senatûs)
Mox rabie pleni, nostrum invasêre sacratum

Cœno-

* *Vide Litt.* L.

Cœnobium, claves ſibi tradi ad cuncta petentes:
Nil tamen à rabulis illis conterritus Abbas,
Aſt animo forti claves cum jure negaſſet
Tradere: Vi magnâ rapiunt, granaria claudunt,
Præſulis & famulos abigunt, ac plura nefanda
Facta patrant: Quæ cuncta videt dum *Paulus* hic *Abbas*,
Cum Patribus ſtatuit furioſis cedere fucis,
Tempus ad exiguum: poſt motus atque tumultus
Ille redux, iterum *Moganorum à Præſule* priſcæ
Impoſitus ſedi, *cives* plexique *rebelles*.
Attamen is nobis *Abbas Præſulq́*, novenis
Vix annis fuerat: tantum mox invida fata
Diripuêre Virum, & Pyliæ ſervanda ſenectæ
Stamina, crudeli ſecat Atropos impia ferro.

*** *** ***

XLVI. ABBAS PHILIPPUS MERCKEL.

Ex majori Oſtheim oriundus, Abbas conſtituitur 1557.
Sedit annis 33. *Obiit An.* 1590. 6. *Calendas Januarii. Hic ædificavit Molendinum ex ſolido lapide.*

* * *

POſt hunc Imperium per conſona vota *PHILIPPUS*
Obtinet: ille probus, ſed moribus uſque modeſtus.
Aſt quantò magis ima petit, tantò altiùs alis
Præpetibus fertur: Virtus eſt lucida, quanquàm
Non velit, apparet: Soliq́ue ſimillima mittit
Per rimas tenues radios, ſeq́ue indicat ipſam.
Hic vixit ſibi, ſorte ſuâ contentus, ab omni
Ambitione procul: nihil hæc terreſtria curans.
Grata quoque illius mentem, vultumq́ue decoro
Pondere firmabat gravitas: non mœſta nec atrum
Torva ſupercilium, nec aperto effuſa cachinno,
Sed miti & clarâ facie condita lepore:
Non ridens, non triſtis erat, ſed mixtus utroque
Vultus: ei conſtans animus, gravitate verendus.
Auxit opes ſacras multis proventibus emptis,
Illud & ex ſolido ſaxo mirabile ſtruxit
Hicce molendinum, laudandaq́ue plura peregit.
Ad Superos tandem annoſo Venerabilis ævo
Scandit, & æternæ fruitur dulcedine vitæ,
Cum bis quindenos & tres præſederat annos.

XLVII. ABBAS JOANNES III. ORTH.

Electus Abbas An. 1591. *rexit annis novem, obiit* 1599. *Idibus Januarii.*

* * *

DEnuò *Prælati* decus ad ſublime *JOANNES ORTH* venit: cujus mens Relligione, pudore,
Juſtitiâ atque fide fuit exornata ſacratâ.
Dexteritas illi mira, & vis plurima veri,
Laude pudicitiæ celebris, candoreque morum
Acceptus: ſemper mera mellea verba profundens;
Nam dulcis probitas, placidoque modeſtia vultu,
Virtutisque color ſuavi renitebat in ore.
Intemerata fides illi, tranquillaque morum
Temperies, pictæ cui non tentoria linguæ
Cognita, vel fraudes, quêis ſe nequiſſima veſtit
Mens Hominum, ſpecie & titulo dum ludit hiantem.
Fallere, mentiri, mentitis deînde colorem
Addere, & ad noſtri genium ſe fingere ſeculi,
Oderat angue magis: manabant cordis abyſſo
Verba gemella, fidem ſemper ſpirantia ſanctam.
Vix per Olympiadem ſed *Præſul* rexit, & annis
Quatuor: æternam moriens in pace quietem
Poſt tot Fortunæ ambages invenit Olympo.

*** *** ***

XLVIII. ABBAS MARTINUS KRAYS.

Hic ex Majori Auheim ortus, Abbatiæ gubernacula ſuſcepit An. 1599. *rexit annis* 26. *per Viſitatores Bursfeld. Congreg. An.* 1621. *Conſentiente Eminentiſſimo Principe Electore Mog. JOANNE SWICARDO datus eſt illi* Coadjutor. E vivis *autem hic ABBAS excesſit* 1625. *ipſo feſto Nominalis Patroni ſui S. MARTINI.*

* * *

POſtquàm fatali ſurreptum morte *Joannem*
Ad ſe ſe in ſuperas arces traducere (vitam
Naturâ poſcente) *DEO*, cæloque placeret:
MARTINO radians imponitur Infula ſacra,
Utpote quæ pridem Virtuti debita tantæ:
Aurea namque Viro mens, omnis criminis expers,
Nudaque ſimplicitas verſutæ neſcia fraudis,
Ac animi candor, modus & ſincerus agendi

Et converſandi: Fratrum ſuffragia cuncta
Ad ſe pertraxit: Vir fortis pectore, conſtans,
Semper ſollicitus, vigilans, animoſus & audax
Rebus in anguſtis: Pietatis cultor, & omnis
Juſtitiæ ac æqui ſimul accuratus Amator.
Seu ſors connivis abblandiretur ocellis,
Seu fuſcos turbaret equos, & triſte venenum
Funderet, in dubiis ſtetit imperterritus ille,
Uſque *DEO* fidens: moderator navita cymbam
Conturbante Noto, & triſti ſtridente procellâ
Direxit commune bonum. Quot, quantaque rerum
Munera ſuſtinuit! Partes nam verſus in omnes,
Indefeſſus erat: multas litesque diremit.
Multas prætereà ſtructuras condidit amplas
Et permagnificas: inter quas eminet illud
Cœnac^lum, quod cum pretioſo fornice, puro
De lapide erexit, verè admirabile viſu.
Aſt tandem advenit conquaſſans corporis artus,
Debilitansque animi vires, tremebunda ſenectus.
Hinc ſe difficili *Prælati* faſce levari
Expetit, ac *Adjutorem* (qui colla labori
Submittat tanto, atque ſenem ſe ſublevet ægrum,
Infirmumque juvet) ſibi jungi enixiìs optat.
Hæc animo verſans, oculis circumſpicit illuc
Atque iſthic: cautâ ac attentâ mente volutans:
Quis novus Alcides, *Atlasq;* ſit ille *futurus?*
Cujus tanta humeris imponi ſarcina poſſit
Tam gravis officii? maturo examine facto.

* * *

D. JACOBUS WALTZ, Coadjutor

Conſtituitur An. 1621. *Qui omnem operam adhibuit, ut collapſam nonnihil Diſciplinam reſtitueret. Cum verò* 1625. *invadente contagiosâ lue Monaſterium, charitate fervens, frequentius infectos inviſeret, corripitur ipſe eâdem, & ceu victima charitatis eodem Anno* 25. *Octobris cecidit, & huic luci ſubtractus eſt. Quem, altero Menſe ſubſecutus fuit in S. Martini feſto MARTINUS ABBAS.*

* * *

RItè *Coadjutor* præponitur ergò *JACOBUS WALTZ* dictus: Patrum votis & Numinis aurâ,
Qui validis humeris clauſtri ſuffulſit Olympum.
Hic inculpatæ certiſſima Regula Vitæ,

Ac

Ac æqui, verique tenax, morumque Magiſter.
Hujus ſi vitam primis memoremus ab annis,
Nil non ingenuum, nil non occurrit honeſtum.
Vir ſtudiis imbutus, &, ut ſuccreverat ætas,
Ad gravia â *Martino Abbate* negotia ſemper
Aptatus fuit: & leges, moresque modeſtos
Calluit, & ſcivit, *Benedicti Regula* quidquid
Continet: Aſſiduus quàm non operam dedit? hinc &
Ipſi continuò zelus ſacer oſſibus hæſit.
Hinc aliquantisper collapſos ille reformat
Ac reparat mores, ritusque reducit avitos:
Unio quos introduxit *Burſfeldica* quondam.
Laxorum ſtudiis ſemper contrarius, uſque
Strenuus in tali ſemper pugnabat arenâ.
Talia dum peragit, tractatque; malignior aër
Peſtifera atque lues Moganas en! corripit oras;
Inficit & noſtrum tandem contagio clauſtrum.
Parva quidem initio, at paulatim crevit eundo:
Ut contempta ſolet ſcintillula parvula ſæpè
Magnificas Urbes rapidis extinguere flammis.
Jam lentè Fratrum lethalis viſcera tabes
Corripit, atque urit crudelis flamma medullas:
Plures diffugiunt, mutantque polum: atque remotè
Diſcedunt, ut in eventu contingere tali
Suevit *Paſtorem* ſed ſe probat eſſe, *fidelem,*
Fratrum & Amatorem, infirmis ſuccurrere cunctis
Ac ſervire parat: Peſtis nil dira venena
Curans, infirmis aſſiſtere, tollere feſſos,
Conſolari ægros, fragiles firmare, jacentes
Erigere, ac ipſis dare ſacramenta ſuprema,
Unicus ejus erat labor, ac optata voluptas.
Nil intentatum linquens, perque omnia verſans
Conſilia & calus animo, ſuccurrere poſſet
Qualiter infirmis ovibus, ſolamen & eſſe.
Dum tam ſollicitè *Fratrum* hic ſincerus *Amator*
Omnibus inſervit, cum jam jam proxima Mitræ
Spes foret, & meritæ vicinior Infula fronti
Fulgeret: Tunc Fata (dolor!) fata invida nobis
Eripuêre Virum, fuerat qui *fidus Achates*
Fratrum Infirmorum: namque inficit & rapit illum
Peſtis ſæva lues: ſubitò velut enſe vel Arcu
Saucius, amittit vires, ſtratoque recumbit:
Qui modò ſoſpes erat, nec habebat ſemina morbi.

Peſtis ut exarſit, totos perlabitur artus:
Amiſſâ cor lege tremit, grave pectus anhelat;
Aſt ubi ſe totis infuderat acta medullis
Flammea vis, & ſe membris ſacer omnibus ignis
Sparſerat, hic tandem gelidæ fit victima mortis,
Ac in fata ruit, *Jacobus*: Quatuor annis
Qui fuit *Adjutor Martini Præſulis*; illum
Martinus tandem (cum ſex tamen atque viginti
Annis regnâſſet) *Patroni luce* Novembris
Undecimâ ſequitur, valedicens lætus & orbi,
Cæleſtem ad patriam volitat fruiturus olympo:
In quo vera ſalus, & feliciſſima vota.

*** *** ***

XLIX. ABBAS LEONARDUS COLCHON.

Hic Leodii natus, & in famoſiſſimâ Abbatiâ S. TRUDONIS in Hasbaniâ profeſſus, ex Lectore & Priore Seligenſtadienſi ABBAS eligitur ipſo Feſto præſentationis B.V.M. An. 1625. *Qui acceptâ confirmatione ſuâ ab illuſtriſſimo Principe Electore Archiepiſcopo Moguntino* JOANNE SWICARDO, 1626. 11. *Januarii, munus Abbatialis Benedictionis cum pontificalibus ritu ſolenni accepit de manu Reverendiſſimi* D. AMBROSII Miſienſis Epiſcopi Suffraganei *in æde Patrum S. J. Moguntiæ. In* Præſidem Congreg. Bursfeld. *An.* 1642. *Confluentiæ in Capitulo Annali abſens eligitur. Moritur Aſchaffenburgi An.* 1653. 30. *Novembris.*

* * *

IN *Seligenſtadium* dum ſic contagio fœda
Horrendum ſævit: duplex Mors improba funus
En! parat, atque uno *Caput* & *Cor* demetit ictu:
Urit mœſtorum Fratrum præcordia mœror,
Indè gemunt, lugent & lamentantur ademptos.
Mitte ſed inferias, lugubrem mitte querelam
Muſa! parentatum ſatis eſt. Poſt nubila Phœbus
En! novus exoritur, ſurgit poſt funera Phœnix
Pulchrior! *Eximius Leonardus* Nomine *Colchon*,
Abbatis qui tunc onus eſt ſufferre coactus.
Hunc apud antiquos *Eburones Legia* magna
Edidit: Ornârunt infantem dotibus omnes
Muſæ. Calliopêja modos, & amantia verba
Addidit Euterpe, jucundis mellea verbis;
Dulce melos Clio, doctrinæ munera Pallas.
Jam natu major, Virtutum ſemina prima

Hauſerat, & Muſas coluit, ſudavit & alſit:
Ingeniiſque notâ & Virtutis nomine clarus.
Foverat at ſanctas quas tum ſub corde favillas,
Explicuit tandem: *Benedicti* namque ſecutus
Caſtra, perantiquâ *Divi Trudonis* in æde
Factus *Tyro* ætate, ſenex Virtute, *Profeſſus*
Non Virtute minor, non impar moribus ulli.
Deîn ad *Agrippinam*, Muſarum illuſtre Lycæum,
Artium & Emporium, ſtudiorum mittitur ergò.
Hæc mirata Viri ingenium, ſublimia confert
Jura Magiſterii Sophici: mox annua juſſit
Dogmata, & immenſam *Thomæ* percurrere *Summam.*
Hæc ubi præſtiterat, medio celer advena curſu
In caput ecce gregis, ſocium ſibi Paſtor Apollo
Deligit, aſſumitque Virum: *Studii generalis*
Namque *Regens* vigilans factus, viv tangere metam
Ceperat, emeritoque Parens Academia curſu
Digna *Theologicâ* redimivit tempora *Lauro.*
Indè Moguntinas fuit accerſitus ad oras,
Ut *Seligenſtadii morum*, Vitæque *Magiſter*
Eſſet: Mox *Lector* conſcendit pulpita plauſu,
Inque ſacro cœtu divinas tradidit artes:
Obque pios mores, exemplaque fulgida vitæ
Eligitur *Prior*: Aſt, multis quid ſingula verbis
Proſequor? En! quanto cuncti fervore trahuntur
Ejus in obſequium, quàm ſe ſubmittere certant
Illius placitis? quem nil ſperare ſuperbum
Intam ſublimi Doctrinæ culmine cernunt.
Tandem omnes unâ *Leonardum* voce ſupremis
Muneribus ſciſcunt decorandum. Nec mora dictis
Obſtitit: Auſpiciis Divûm Comitia fiunt,
Itque frequens tacitâ *Leonardi* nomen ab urnâ,
Lætoque excipitur concors Sententia plauſu.
Vix erat *Abbatum* adſcriptus *Leonardus* at *Albo*,
En! nova mox rerum facies, namque aurea morum
Floruit integritas; pietas quid fervida poſſit,
Exemplo docuit proprio, velut obſide certo.
præ reliquis autem, doctas antè omnia Muſas
Fovit & excoluit: plures rarosque cöemit
Libros; Hebræos, Grajos, multosque Latinos,
Teutonicos, Francos: nam ſingula ritè ſecundum
Artem, pulchra loqui hæc idiomata quinque ſciebat:
Et licet his quinis poſſet diſcurrere linguis,

Non

Non tamen hic unquam fallax fuit atque bilinguis
Inventus. Toti hinc cœpit clarescere Mundo,
Tantaque fama Viri Latiam penetravit ad Arcem,
Cujus *Alexander septenus* Nominis hujus
Rector erat: qui sæpè süavia misit eidem
Nuntia, quæ propriâ fuerant conscriptaque dextrâ
Ejus, & hunc nostrum *Leonardum* ad majus honorum
Scandere jussisset culmen, nisi stamina vitæ
Nex præceps secuisset ei. Sed *Nursia* rursûs
Ad majora visum subsellia vexit honorum;
Nam cum fama Viri passim notescceret *orbi*
Nursiaco; Patrum *de Bursfeld Unio* sacra
Hunc facit absentem *Caput Ordinis* atque Columnam,
Abbatum Abbatem, sibi eum delegit Atlantem:
Communi *PRÆSES*, dici qui nomine suevit.
Tumque Monasterium nostrum fœcunda Virorum
Doctorum sedes erat, ac Academia Tempe,
Musarumque domus, Charitumque celebre Lycæum,
Et veluti Trojanus Equus: Quot namque fuêre
Tunc Patres in eo, tot claustris tum viduatis
Et dedit Abbates & Relligionis Atlantes.

Et quia, quà vasti latus patet ambitus orbis,
Aurea florebat pax, Altrix optima rerum;
Aurea currebat nobis quoque temporis ætas,
Nullaque Saturni nisi Secula fausta fluebant.
Hinc Asceterium multùm splendoris & æris
Dives erat: felix & opimis rebus abundans.
Crescebant census, reditus augentur, & ingens
Congestus Thesaurus opum: quoque jugera adaucta.
Plena domus Cerere, ac Baccho quoque cella madebat;
Plena penus, plenique cadi, granaria plena;
Horrea plena, greges, armenta, jumentaque multa;
Plena ornamentis tunc sacristia sacratis,
Plena voluminibus quoque Bibliotheca, referta
Nummis turgebant quoque Gazophylacia; Verbo:
Omnia abundabant, & prospera cuncta fluebant.
Tristia sed semper miscet Fortuna secundis,
Et nihil in mundo stabile est: nam lubrica semper
Alternat Fortuna vices, quæ vertere gaudet
Omnia, perpetuò commutans infima summis.

Ast inopinatò Tempestas horrida Belli
Exoritur, totum ferè quæ permiscuit orbem.
Ex Aquilonari nostras nam climate ad oras

Arctous Leo Guſtavus condictus *Adolphus*
Auguſtus, *Regum Suecorum Gloria*, & Heros
Gentis Hyperboreæ fortunatiſſimus olim
Clam venit: Hæreticis ſtimulantibus atque Bohemis.
Arma capit, bellum confeſtim indicit iniquum
FERDᴖNANDO Auſtriaco: fuerat qui Teutonis orbis
Cæſar, & Imperii ſupremus Juppiter, atque
Romanæ fidei quoque conſtantiſſimus *Atlas.*
Quamvis *Cæſareo* foret hic *diademate* cinctus,
Maluit Imperio tamen is valedicere Mundi
Totius, antè Fidem Veterum quam linquere Patrum.
Catholicæ hic igitur *turmæ* novus *Archiſtrategus*,
Auſtriæ & *Alcides*, ſero memorandus in ævo,
Pro *DEO* & *Imperio* generoſo pectore Bellum
Suſcipit indictum: Sperans, quod Juppiter æquus
Inceptis adſit, Viresque in pectora fundat.
Utraque pars igitur Martis conſcribit Alumnos:
Pubes armatur, numeroſaque ſigna cohortum
Erigit, atque ſuos animoſè hortatur ad arma.
Formidanda nimis campo ſtant agmina utrimque;
Terra armis ardet, fremit armis horridus æther:
Armorumque fragor, clamorque per æthera mugit
Horrendùm: ac inconditis clamoribus Hoſtem
Mavortis Pubes ad fervida prælia poſcit.
Stant acies campo directæ utrimque patenti,
Conflictûs avidæ: Taratantara clangit, ubique:
It ſtridor cælo, ferit aurea ſidera clamor,
Mox in bella ruunt, ſtrident haſtilibus auræ,
Pulveris effuſus glomeratur in aëre nimbus,
Eripiturque dies: ferroque obtexitur æther.
Armaque concutiunt armis, atque enſibus enſes,
Immiſcent manibusque manus, ac prælia miſcent.
Nec pugnis datur ulla quies, crudeleque Martis
Continuatur opus, certamina & horrida fervent:
Ut duo cùm certant adverſis cornibus Hirci,
Alta petunt primùm ſubtractâ cornua fronte,
Mutuaque immiſcent, dum tandem bile tumenti
Tempora temporibus collidunt, fronteque frontem.
Mox (Fortuna velut belli variabilis eſſe
Semper conſuevit) *Leo Suecicus* alta triumphi
Sæpè reportabat: mox *Cæſaris Ales* ovabat:
Continuò & dubiis Victoria paſſibus ibat,
Ipſemet & dubius mediis Mars hæret in armis.

Intereà

Intereà vaſtantur agri, vaſtantur & urbes,
Templa profanantur, fluitant ac arva cruore,
Paſſim disjectis jacuerunt oppida muris;
Martis enim rabies, triſtiſque horrenda flagello
Deſævit Bellona nimis, gentesque repôſtas
Sedibus Arctois, in pugnam mittit acerbam:
Cunctaque fatali loca flent, ululantque tumultu.
Nam gemitus Patrum, lamenta profundaque Matrum
Audiimus, longasque animas in morte trahentûm:
Purpureo & tabo tumidum decurrere Mœnum
Vidimus, & patrio campos fervere cruore.
Illius at Belli clades, & funera dignè
Quis referet? ſibi namque Prometheus hiſcere cymbam
Senſit, & inſtructis transvexit claſſibus umbras.
Everſa eſt etenim, totasque exciſa per urbes
Ad ſtygias lacerata ivit Germania manêis.
Sed parvum eſt periiſſe Viros, populique, Patrumque,
Et Patriæ florem triſti cecidiſſe ſub enſe:
Sed Fidei excidium, ſed Relligionis avitæ
Plus gemimus clades, animarum flemus Hyænam,
Hæreſin in noſtram tantum valuiſſe ruinam.
Verſa *DEI* ſedes, ædes; in haram fuit Ara:
Cœnobiumque Luthericolis datur, indeque pulſus
Relligioſorum cœtus, Fratrumque Phalanges:
Fana profanata, & (quod Judæâ cruce pejus)
Effuſus *DEUS*, & ſannis, ac calce petitus.

Hinc fugiunt Monachi, procul effugit ipſemet *Abbas*
Urbem ad Legiadum, quinis ubi manſit & annis.
Hasbaniæ ad fines alii fugêre: remotos
Adque *Ubios* alii properant, ac Ordinis ædes
Non ſecùs, atque Lupo veniente armenta paveſcunt,
Nam glomerante vagam quatiunt pede præpete terram,
Nunc ſtabula alta petunt, ſilvæ nunc abdita quærunt.

Miles at intereà ſacratas diripit ædes,
Templum ornamentis ſpoliat, violenter & Aras
Involat, hasque ſacrâ quoque ſuppellectile nudat.
Ejicit & Fratres, diris cruciatibus illos
Extorquens: vetulo cellaria plena falerno
Effringunt alii, potant, largoque Lyæi
Flumine ſubmergunt ſe, plenaque vaſa ſclopetis
Transfodiunt: ac ſic (quod erat miſerabile viſu)
Nobile deperdunt Vinum, quo Exercitus ingens
Annum per totum refici potuiſſet. At atrox

Martis hic eſt genius: raptim conſumere cuncta,
Atque quod eſt reliquum deperdere, vertere ab imo.
Non ſtetit hic furor! aſt etiam horrea fruge repleta
Incendunt: Cereris Granaria (triſtis imago!)
Frumentis oppleta, ſiligine turgida rarâ
Invadunt, rapiunt, conculcant, cunctaque vaſtant.
Quos dederint potus, quêis aut cruciatibus iſtæ
Sanguibibæ Tigres, *Fratres* (ni prodere vellent
Theſauros) divexârint, & qualiter armis
Indignisque modis tractârint, horret honeſtus
Scribere nunc calamus: ſpecialia dicere quamvis
Mens opportuno mihi ſit mage tempore quondam.
Poſt quinquennale excidium *Leonardus* is *Abbas*
Ad ſibi commiſſum remeabat denique Clauſtrum:
Et pariter redeunt, poſitâ formidine, *Fratres*.
Qui reduces, nudum devaſtatumque videntes
Cœnobium, dubitant, horreſcunt atque ſtupeſcunt,
Vix ſe agnoſcentes (Belli ſic horrida flamma
Singula mutârat) triſti de pectore ducunt
Funeſtos gemitus, iterant ſuſpiria, amaras
(Ecquis enim ſiccis oculis tam flebile buſtum
Conſpiciat?) lacrymas illi cohibere nequibant.
Res anguſta domi, verè fuit atque culina
Frigida: nam panis vix mica ſuperfuit una,
Guttula nec vini: aut aliud, quo membra fovere,
Vel laſſas vires *Fratres* reparare valerent.
Dira fames erat, at frumenta, ſiligoque nulla
Ullibi: Paupertas extrema, & inopia rerum
Maxima: nam turpis paſſim regnabat egeſtas,
Et triſtis Clauſtri facies erat, horrida viſu:
Muri collapſi, minitantia tecta ruinam,
Abbatia, ſatis quæ quondam ſplendida, fœdis
Sordibus eccè ſcatet, templique altaria nuda:
Stramine abundabant ſacri Capitolia Fani,
Dejectæ & Statuæ, deſtruxerat Organa miles
Sat pretioſa ferox: nigro Conventus ubique
Tinctus erat fumo, piceâ & ferrugine furvus.
Quamvis æris inops, ac eſſet egenior Iro
Præſul hic, in rerum tamen haud diſcrimine tanto
Fratres deſeruit, ſed verbis ſuavibus illos
Sic fuit affatus: Veſtras nunc promite vires,
Ac mœſtos revocate animos, vanumque timorem
Mittite: nunc animis opus eſt, & pectore firmo.

Audite

Audite hæc, *Fratres*, & cordi figite dicta:
Eugè agite! & Divûm quò ducunt jussa sequamur,
Menteque constanti præsentia fata feramus,
Quæ *DEUS* immisit nobis: dabit his quoque finem
Ærumnis, aderitque suis in tempore servis.
Conditio, fateor, nostra est miserabilis, at non
Desponde te animum: rutilus post Nubila Phœbus
Olim fulgebit, Brumam ver suave sequetur.
Solvamus pia vota *DEO*, veniamque precantes
Ardua supplicibus penetremus sidera votis.
Mox, ut finierat, junctas ad sidera palmas
Extendunt omnes: precibusque ardentibus iram
Numinis offensi cuncti placare studebant.
Auspice sicque *DEO* data pessum Fana restaurant,
Et quæ per plures annos Bellona nefanda
Diruerat, reparant: ac omnia pulvere nuper
Sordida, mox Fratrum pietas nitidissima fecit.
Hic quoque Prælatus * juris renovator aviti
Juris erat: cives reditus, decimasque negantes,
Inque aliis multis solito pro more, malignæ
Invidiæ zelo plenos & bile tumentes
Atque repugnantes compescuit atque domavit,
Utque darent decimas (quas debent jure coegit.
Tot mala perpessus, velut aurum & in igne probatus,
Eximius tandem *Dominus Leonardus* hic *Abbas*,
Ordinis Anicii Præses, jubar atque Virorum
Doctorum, magnum *Belgi* Decus, orbis ocellus,
Annis præfuerat postquàm vigil octo viginti,
Aschaffenburgi subitò, diroque catarrho
Pressus, nostrorum vehementi haud absque dolore,
Ordinis ac luctu generali vivere cessat:
Indeque delatus, solenniter hiccè sepultus
Inque chori medio, nigro sub marmore tectus,
Sit licet ob certas amotus posteà causas
Hic lapis: adque sacram translatus Virginis ædem.

*** *** ***

L. ABBAS LEONARDUS II. WALTZ.

Patriâ Obernburgensis electus An. 1653. 3. *Decembris.*

Hic cùm laudabiliter annis tredecim præfuisset, obiit & abiit An. 1666. 16. *Maii.*

DEsierat *LEONARDUS* homo esse, novum jubar astris
Additus, & postquàm solemnia justa soluta: Dum-

* *Vide Litt.* M.

Dumque *Patres* coëunt, *Fratres* cunctique *Profesſi*
Scrutinio inquirunt, quis tandem ſcilicet ille
Confratrum ex numero ſit vir, quem vota ſecundo
Omine deſignent, jubeantque aſſiſtere clavo?
Sors cadit hunc ſuprà *LEONARDUM* rurſùs, amabant
Hunc omnes etenim, veluti *Patremq;* colebant.
Vicinâ hic *Oberenburgenſi* natus in *Urbe*,
A teneris annis ſtudiis imbutus honeſtis;
Omnibus ob mores ſuaves, graviterque modeſtos
Is fuit acceptus, gratus, pius atque benignus.
Ingenium Natura dedit, variabile nullo
Caſu: Virtutum variarum germina prodens.
Relligio, Pietas, & verè vivida Virtus,
(Quæ facit *Abbates*) nunquàm defecit in illo.
Sedulus hinc animum ſtudia ad cæleſtia vertit,
Uſque legens, manibus Patrumque volumina verſans.
Mens erat indè illi ad Divûm conſortia nata,
Cæleſtem in terris, hoc eſt, ſine crimine vitam
Ducens, atque ſuos animans ad Olympica Regna.
Judicium magnum, rerum prudentia dictu
Major: cana fides, amor & facundia dulcis.
Mira in eo gravitas, conſtantia ferrea mentis,
Nec frangenda malis, nec ſuſtollenda ſecundis.
Inter ſucceſſus lætos & triſtia rerum
Æquanimus ſemper, quoque diſcretiſſimus: indè
Vixit in officiis nulli gravis, omnibus æquus;
Hic etenim *Præſul* fuit omnibus omnia factus,
Cum fuit officiis cunctis is idoneus, unus
Relligioſorum nam munia ſolus obivit.
Hic laudanda facit quam plurima: pagina præſens
Quæ nequit hæc capere. Eximius zelator avitæ
Hic Diſciplinæ, accuratus Regulæ Amator.
Inter ſtructuras varias quas tempore caro
Hic reſtauravit, præſtantior eminet, omnes
Atque ſupergreditur pulchro gratiſſima viſu
Villa in vitifero vico ſita, dicitur Hirſchſtein.
Nam locus ille Viro gratiſſimus extitit omni
Tempore, quod foret â populi plebisque tumultu
Liber & immunis: rebus cæleſtibus aptus.
Hunc ſibi delegit, quoties ad ſidera mentem
Tollere humo voluit: quoties deflere reatus,
Exceſſusque leves vir deplorare volebat,
Sêu Paradiſiacam mox hanc acceſſit Eremum:

Seque recollegit per curſum ſæpiùs anni,
Immaculatum Agnum crebrò hic mactavit in arâ,
Obtulit atque *DEO*: cæleſti crebriùs aurâ
Eſt afflatus ibi, ſolus cum Numine totus
Hîc ſibi vivebat. Tandem cum munere functus
Eſſet *Prælati*, laudabiliterque per annos
Regnâſſet tredecim: ac illi grandævior ætas
Jam caligantes nebulis hebetaret ocellos;
Vir conſummatæ verè Virtutis, in Hirſchſtein
Seceſſum ad ſolitum lætus properavit: ibique
Cælitùs inſtructus forſan, monitusque, ſuprema
Fata exſpectavit: quæ moxque ſecuta fuerunt.
Namque preces inter *Fratrum*, lacrymasque frequentes
Lethargo obruitur: Mortalia cuncta relinquens,
Ac in ſede ſedens ad ſedes migrat Olympi
Sex decimâ Maji, cum florent cuncta: *Mariæ*
Virginis inque choro (tenerè quam ſemper amârat)
Waltzius eſt *Abbas Leonardus* & hiccè ſepultus.
At vos Mortales, quorum non læſit is ullum,
Pacem hûic perpetuam, requiemque vovete perennem.

* * * * * *

LI. ABBAS NICOLAUS II. Peterman.

Natus in Bürgel, poſt octennium reſignat & Parochus in Geiſſelbach moritur An. 1676.

* * *

POſteà conſequitur *NICOLAUS* nomine: Patrum
Qui delectus erat votis *Venerabilis Abbas.*
Una ſalus illi *DEUS*, & fortiſſima rupes,
Cûi veluti firmæ *Petræ* conſtanter adhæſit:
Namque placere *DEO* fuit illi maxima cura.
Hinc pietate calens, votis precibusque vacabat
Aſſiduis: ſummo pendens à Numine totus,
Ad cæli patriam tendebat pectore ſemper.
Antequam ad hanc autem pertingeret atque veniret,
Debuit hunccè priùs crucis exercere Palæſtra.
Hinc & ab ingratis (bona quêis is præſtitit olim
Multa, ſacroque nigri Ordinis exornârat amictu)
Perpeſſus, taciteque fuit mala plurima paſſus.
Expertus: quòd plus noceat patientia mitis,
Quam rigor: hic paucis nocet, aſt hæc incitat omnes:
Dum ſe ferre ſuos ſperant impunè reatus.

In *Crucis* ergò *Scholâ*, cum ſat foret ille probatus,
Et ſe ſe ſolito graviori mole gravari
Sentiret, multumque ſibi creviſſe laboris.
Ut cum poſt multos, indefeſſosque labores
Alcides feſſo ſuccedere juſſus Atlanti,
Cum tot ſideribus magnum miratus olympum
Ferret, & inſolito ſudaret pondere preſſus.
Ergò Viros (famoſa quibus Sapientia nomen,
Longaque multorum dedit Experientia rerum)
Adſciſcit, magno ſacrata negotia clauſtri
Qui tractent ſtudio: hos cunctis de rebus agendis
Conſulit; & pulchrum, juſtumve vel utile quid ſit,
Quid decet ut faciat? ſtudioſâ mente requirit.
Nec mora: Vir humilis, perfectus honoris & oſor,
Sponte, en! depoſito *Abbatis* diademate ſacro,
Denuò privatam ſtatuit traducere vitam,
Atque *Abbatiam* generoſâ mente reſignat,
Cum jam bis quatuor cêu *Præſul* rexerat annos.
O pietas miranda Viri! O ſubmiſſio rara!
Poſt breve ſed tempus, poſt meſſem vixque ſecundam
Inceptam (ſpatio quo temporis ille fidelem
Egit & egregium *Parochum*, quia paverat Agnos
Geiſſelbacenſes divini ſemine Verbi)
Vitæ iter abſolvit tandem, quod reſtat eundum
Omni homini: *Abbates* inter jacet atque ſepultus.

* * * * * * * * *

LII. ABBAS FRANCISCUS I. Hoffmann.

Hic Coloniæ Agrippinæ natus, in Abbatem electus fuit 1674. 9. *Aprilis. Benedictus in urbe Beatâ eodem anno* 16. *Septembris ab Epiſcopo Davalienſi, Epiſcopo ſuffraganeo Wormatienſi, Spirenſi, &c. Moritur hic ſtrenuus Monaſterii Reſtaurator, cum laudabiliſſimè annis* 21. *præfuiſſet, An.* 1695. 11. *Decembris, ipsa* Dominicâ Gaudete.

* * *

DUmq; reſignârat *Nicolaus*, *Præſulis* ultrò
Officio: in librâ, rigidavè fuêre ſtaterâ
Appenſi plures, referunt ſuffragia pauci
Paucula vel nulla: aſt ceciderunt plurima *Fratrum*
Vota in *Franciſcum*. Cui mox inſignia Mitræ
Atque Pedi, ſolito pro more oblata fuêre.
Edidit hunccè Virum *Lunata Colonia* Rheni,
Magnorum genitrix eſt quæ fœcunda Virorum.

Aſt

Aſt uti Sol latitare nequit, ſic deſerit oras
Hic patrias: ſtatuens conſtanter in *Urbe Beatâ*
Inſervire *DEO*, *Benedicti Caſtra* ſequendo.
Vix Tyrocinii primum transegerat annum,
Myſta fuit factus: mox deſignatus in *Auheim*
Majori Parochus, zelo præfervidus, atque
Proximi amore flagrans: verum *Paſtoris* amati
Mox dedit & *ſpecimen*. Nam cum contagio peſtis
Paſſim ſæviret, juvenesque, ſenesque voraret:
Ille haud fûgit, iners uti mercenarius; aſt ut
Zeloſum verè Parochum decet, atque fidelem
Paſtorem: infirmas audax bipatentibus ulnis
Eſt amplexus oves, animoſus & aſtitit ægris,
Ultimam & ad luctam generoſè animavit eosdem.
Præſulis ad faſces cum ſublimatus, eidem
Prima fuit cura, ut ſacris Reverentia Divis
Debita, ſivè chorus benè ſervaretur ad unguem:
Hinc auxit numerum Fratrum. Sed cura ſecunda
Hæc erat: ut numeroſa ſatis diſſolvere poſſet
Debita, quæ fuerant ob turbida tempora Belli
Contracta hêu numeroſa ſatis! Quod *Præſul* abundè
Præſtitit, atque brevi capitalia magna redemit,
Cenſus & reditus augens, renovansque ſepultos.
Præſul erat, recti quo nemo tenacior alter,
Juſtitiavè fuit potior: verè indolis altæ,
Ac inculpatæ: ritûs zelator aviti
Indefeſſus erat: quoque Paupertatis honeſtæ
Perpetuus cultor, ſed Proprietatis acerbus
Hoſtis: laxorum morum cenſorque ſeverus,
Strenuus ac ultor: probitatis amore decorus.
Prodigus haud unquàm, ſed frugaliſſimus: indè
Felix œconomus, vigil ac induſtrius: uſque
Parvo contentus, vigil acquiſita reſervans,
Quæſitique tenax: lucrique cupidine fervens,
Non tamen immoriens: veluti conſuevit Avarus.
Nam neque divitias nigrantibus abdidit antris,
Nec tenebris damnavit opes: ſed largior imbre
Sûeverat Artificum ſemper ditare catervas.
Hinc Templi turres, lapſumque minantia tecta
Inſtaurat tegulis, cunctas & deſtruit aras
Antiquas, ſtatuitque novas: ac Organa rara,
(Qualia vix noſtris modò repperiuntur in oris)
Curavit fieri, claro celebrique Phonaſco

Accito ex oris distantibus atque remotis.
Non stetit hiccè Viri labor ac industria, verùm
Templa dealbari, Phrygiisque tapetibus illa
Ornari mandat: nè fors ejusque decori
Desit adhuc aliquid, muros peristromate, more
Flandriaco exornat: Paramentis ditat & ornat
Indè Sacristiam: cuncta utensilia sacra
Puro ex argento fieri jubet atque procurat.
Eminet hæc inter miri Lampasque laboris
Argentique trahens marcas, statuisque decora:
Præter candelabra decem, tumbamque stupendæ
Molis, quâ *Patronorum* sacra clausa tenentur
Lipsana: præ reliquis placet at Monstrantia (valdè
Quæ gravis est auro) innumeris phrygiata lapillis,
Artis Phidiacæ excellens, clarumque Toreuma:
Quantum non pretii, quantùm non artis in illo?
Non secùs atque Adamas æstivi lumine solis
Percussum, tremulo circum fulgore coruscat.
Templo exornato, majores pectore curas
Versat, & aggreditur molimina maxima rerum.
Namque ruinosum Conventum diruit, æquat
Atque solo: haud lapidem suprà lapidemque relinquens.
Mox nova fundamenta foditque jacitque: periti
Artificesque quadrant Lapides quoque parte politâ.
Nec mora: præcelsis (ut cernis) nubibus æqua,
Ac cælo æqualis solido de marmore moles
Exurgit: Mogono quæ nunc spectabilis orbi.
Dilapidare volens Claustri substantiam at omnem,
Priscæ *Abbatiæ* radicitus eruit ædes,
Funditus atque novam sublimem evexit ad auram.
Postquàm hic *Franciscus* vir tanta patraverat, & sic
Dilapidâsset opes (quod erat mirabile cunctis)
Plus tamen hic habuit semper nummi, æris & auri,
Cum consummârat molimina tam ardua rerum,
Quam cum ordiretur: fuit hæc Benedictio Cæli.
Ne foret in toto locus ullus denique Claustro,
Quem non ditâsset benefactis: Bibliothecam
Egregiis dotat libris, dum comparat illi
Libros Thêulogicos, sophicos, plures Canonistas,
Ac alios, verè raros: quos eminet inter
Magnus Kircherus, cujus monumenta coëmit.
Hiccè *Monasterii Reparator strenuus, alter*
Fundatorq́, quasi: Cum climactericus annus

pag. 68.

SUB PATROCINIO S.S.M.M.
MARCELLINI ET PETRI

TB

Inſtaret major, paulatim viribus æger,
Et variis morbis, podagræque doloribus, annis
Exhauſtus multis, canum deductus ad ævum,
Annis utiliter cum rexerat ille viginti
Ac uno: dives meritis & laude celebris,
Humanam poſuit Mundi ſuper ardua carnem,
Inque chori noſtri medio jacet ille ſepultus.
Magna Anima, ætheris cæli ſociata manip^lis!
Quæ jam liquiſti fragilis fulcimina carnis,
Conſpectu fruerisque *DEI*; quem mente animoque
Semper anhelabas, dum *Te* mortalis habebat
Conditio: Nunc ſede piâ dominaris, & omni
Fine carens ævum, poſt tædia longa laborum
Exiliique moras, lò! lætus in *Urbe beatâ*
Vivis, & è cælo deſpectas arduus Orbem.
Te Requies æterna beat, nos ſubdola verſat
Nunc ſpes, nunc formido, & Mens incerta futuri,
Gaudiaque inſtabilis animos evanida palpant.
Ter *Dilecte Pater!* *Te* ſic ego nomino, nam *Tu*
Ah *Venerande Parens!* indignum me quoque *Natum*
Sæpè vocare *Tuum*, patrio dignatus amore es;
Prætereaque mihi verè *Pater* uſque fuiſti,
Indignum dum me donâſti veſte ſacratâ,
Ordinis ac *Habitu* decorâſti rite *nigello!*
Vâh! ter amande *Pater*, nunc civibus addite cæli!
Non ego *Te* querulo planctu turbare ſepultum
Intendo: procul âh! à me muliebria ſunto
Lamenta, & ſegnes lacrymæ, fletus & aniles;
Impia nam Pietas: irrelligioſaque dictu
Relligio plorare ſenes Heroas: Olympo
Quos Pietas Auguſta beat. Melioribus ergò,
Fas erit auſpiciis *Tibi* pangere carmina læta:
Ergò vale Dilecte *DEO!* dum Lumina Titan
Exſeret, ac ſtellæ rutilo volventur Olympo,
Dum noſtrum Clauſtrum perſtabit in *Urbe Beatâ*;
Nulla decus, Nomenque tuum ventura tacebunt
Secula: Semper honos tuus, ac tua Fama vigebit.
Hactenus hoc Phœbus, Phœbumque imitata canendo
Numina ferali decorârunt Carmine tumbam.
Nunc ego, quæ poſſum, aſt patrio bona verba ſepulchro
Pauca fero: labiis largo ſat rore rigatis
Nuncupo vota, precesque pio de pectore fundo:
Has audi, *TU* Magne *DEUS!* mollemque quietem

Da precor: Oſſa levemque hanc experiantur arenam,
Donec ſumma dies & inevitabile Fatum
Te mihi, *Chare Pater*, *Tibi* me, *Pater optime*, reddat.

*** *** ***

LIII. ABBAS FRANCISCUS II. Blöchinger,

Patriâ Miltenburgenſis, SS. Theologiæ Doctor, Protonotarius Apoſtolicus, ex Parocho Steinheimenſi An. 1696. 16. *Januarii Abbas electus, confirmatus Bambergæ, Benedictus eodem anno in feſto S.P.N. BENEDICTI, Deîn Sacræ Cæſareæ Majeſtatis, uti & Eminentiſſimi Electoris Moguntini in Spiritualibus Conſiliarius, & Comes Palatinus Cæſareus,*
&c. &c.

Diu vivat, regat, atque perennet!

PEccarem in officium, *Reverendiſſime & Gratioſe Domine*, ſi decantatis tot *Prædeceſſorum Tuorum* laudibus, alto *TE* involverem ſilentio. Obſtupuit quidem & obmutuit, imò arida exaruit Vena mea, cum *TE* cantare in mentem veniret; attamen quia *Pictoribus atque Poëtis quidlibet audendi ſemper fuit æqua poteſtas*: Hinc canam ceu cicada, quæ licèt crepera & ſtrepera ſit, hactenùs tamen ſuaviſſimo *Gratiæ Tuæ* rore uſque ad delitias paſta fuit; Cantabo *Laudes Tuas*, non quidem quales debebam, ſed quales dare poterat levidenſis ingenii mei tenuitas: Quis enim Mortalium, imò talium numerus, innumeras Genii & Ingenii *TUI* enumerabit Dotes? cum illæ omnibus numeris ſint abſolutiores; Nulli Poëtarum Pedes menſurabunt immenſum Virtutum *Tuarum* latifundium, niſi ſuo ſe pede metiri negligant: Tanta ſiquidem earum eſt magnitudo, ut excedat et enervet omnem Poëticæ Artis nervum. Parce proindè temeritati meæ, quod quid impoſſibile pro poſſibili facere attentem: Geographos imitari volui, qui magnas Urbes, grandes fluvios, parvis exarare ſolent lineolis.

§. I.

Propoſitio & Invocatio.

* * *

IN Laudes, mea Muſa, Tuas *Ampliſſime Præſul*,
Currere nunc geſtit: nam cum pia fata ſubîſſet
FRANCISCUS PRIMUS, ſuperasque volâſſet ad arces;
Luce bis octavâ *Jani* (quâ Feſta coluntur
MARCELLI Papæ) tandem mittuntur in urnam
Pro *Prælaturâ* ſortes: Sed plurima vota
Doctorem Eximium Te Te, *FRANCISCE*, petebant.

Præde-

Prædeceſſoris veluti nam nomen adeptus,
Sic genuinus eras ejus Virtutis & Heres:
Famâ ingens, Virtute ingens, ingentior arte,
Fulcimentum ingens, lux præclariſſima Clauſtri,
Cœnobiiſque jubar: veluti Pharus uſque coruſcans
Virtutum radiis, novus ut poſt nubila Phœbus.
Ergò mihi (*Abbatis* magno nunc nomine gaudens,
Nurſiacos inter *Proceres* celeberrime noſtro
Tempore, & *Aniciæ* clariſſima gloria *gentis*,
Quem Parnaſſiacis Pallas nutrivit in antris,
Atque ſacro à teneris aluerunt lacte Camœnæ)
Adiis, & placido vultu dignare puſillum
Aſpicere, ac timidum foveat *Tua Gratia* Vatem.
Ad me animum ac oculos vertas, me reſpice, nam *Te*;
Te cantare volo: cœpto ſuccurre labori.
Majus opus, fateor, moveo, quàm viribus ipſe
Ferre queam, vires etenim ſub mole fatiſcunt.
Attamen abſcedant fictitia Numina Vatum,
Muſarumque chorus mendax, & inanis Apollo:
Tu verus mihi Phœbus eris, *Digniſſime Præſul!*
Digna ſonaturo *Tu* carmina ſuggere Vati,
Utpotè qui *Vates* ſimul es *ſublimis*, & idem
Præſtans Orator; *Tu* fontem & culmina Cyrrhæ
Sufficies, floresque dabis, laurosque virentes,
Et Vires: ut cuncta ab origine pandere poſſim.

§. 2.

Nativitas, Patria, & Lucinæ, de ejus olim Magnitudine, præſagium.

Est locus & Regio, vitreo contermina Mœno,
Cotibus inſignis, ſedes gratiſſima Divis,
Vicus ſat celebris: ſituatus ad ardua montis
Culmina, *Moganidum* ſuperis benè notus in oris.
Id ſpeciale loco eſt, velut experientia teſtis,
Quod natos ibi Mercurius, Divusque benigno
Cynthius aſpiciat vultu, tribuatque loquendi
Vim facilem, ingenium præſtans, durabile & acre.
Miltenbergam hodiè vocitant, *Piemontium* aviti
Sed dixêre Patres: hîc lumen amabile vitæ
Hauſit *Franciſcus**: mox indè renaſcitur aſtris,
Tinctus aquis ſacris, *NICOLAUS* nomine dictus.
Vix at eum Genitrix orbis præſentis in auras

Fude-

* Natus 1659. 29. Junii.

Fuderat è gremio, Pietas circumdedit ulnis
Extemplò Infantem: roſeos Aurora liquores
Miſcuit, & Charites infudit Gratia labris;
Addidit atque Poli cultum, ſummiſque timorem
Numinis, & caſtos cæli inſtillavit amores.
Indè ejus vultum conſcripſit amœna venuſtas,
Ingenio ſpecioſa ſuo: quoque plurimus olli
Oris honos, oculisque venuſtas mira tenellis;
Nam pudor auguſtus teneras lanugine malas
Tinxerat, & quædam gravitas, & pompa ſerenæ
Lætitiæ, quædam majeſtas corpore toto
Splendicat, & pueri micat ore ſevera voluptas.
Ipſamet obſtupuit ſobolis cæleſtia dona
Lucina aſſiſtens, & rara charismata mirans,
Fata revelat ei, dum pandit cuncta futura,
Sic affata fuit prolem, ſic ora reſolvit:
Blande Puer, Patrisque Tui, Matrisque Voluptas,
Noſter Amor, magnum Aonio Decus addite monti!
Huc vultus, oculosque Puer converte, Tuamque
Nutricem dulci placidus cognoſcere riſu
Incipe, Fortunasque tuas, Tua diſcere Fata:
Namque tibi faciles promittunt omnia Divi.
Te Pietas, *Te* cana Fides, jucundaque mitis
Temperies animi, manans cêu lympidus amnis
Condecorant, circumque meant. Præſagio paucis
Multa Tibi: celſis quia nam Tu montibus ortus,
Nil Tibi plebejæ hinc animæ, nil pectore toto
Sanguinis ignavi eſt: *Tibi* ſplendida munera largâ
Namque manu Natura dedit: *Tibi* vivida Virtus
In venis bullit, quæ ſemper ad ardua ducet.
Quantus eris? Tua laus, quanto ſe vertice tollet?
I Puer! ingenium quò *Te* vocat; ardua ſcande
Per Studia: I! quò *Te* quondam *Tua* Gloria factis
Extendenda vocat, ſtimulisque potentibus urget.
Sedulus âh! doctas Artes & Numen amatum
Fige animo, atque Tuam circumdabit Infula frontem;
Te circumſiliet gemmatis Gloria pennis,
Juppiter atque tuis afflabit ſuaviter auſis,
Æternumque *Tibi* tradet poſt funera Nomen
Candida Fama, Tuæ vivent per ſecula laudes.
Sed quid opus verbis? quid opus præcone Poëtâ?
Parta *Tuis* factis pro me *Tua* Fama loquetur,
Non aliunde loquax: Et quæ *Tibi* maſcula Virtus,

Et dulcis Probitas, placidoque Modestia vultu,
Virtutisque color, suavi qui prostat in ore.
Perge bonis avibus! quò *Te* Tua florida Virtus
Et Themis alta vocat; sic dignus Honoris aviti,
Macte, esto Virtute tuâ! celeberrimus esto,
Pusio parve: scio, quondàm *Tu* pectore magno
Magna geres, pertractabisque negotia summa.
In laudes igitur generosus ab indole surge,
Fortunate Puer! cum sit *Tibi* census & ortus
Munere Fortunæ, ingenio *Tibi* crescet utrumque.
Obvenient ultrò *Tibi* publica munia curæ,
Laurea *Te* ornabit, sanctasque tuebere leges:
Nulla futura dies venienti *Te* eximet ævo.
Perge modò, & nostris sint omnia prospera votis,
Nomen Honosque *Tuus* crescat crescentibus annis,
Sic immortalem cum laude merebere Famam.
Dixerat: & Puerum tenero perfudit amore,
Demulcensque manu centena hûic Oscula figit.
Hic quasi fatidicos, animo quos illa canebat,
Hausisset monitus, ter vultu arrisit amœno
Lucinam Puer: & risit *Lucina* vicissim.

§. 3.

Adolescentia & Studia.

VIxq; pedum primis Infans vestigia plantis
Institit, ac primas fandi Puer hauserat artes:
Jam tum affectabat riguos accedere fontes,
Et Phœbum, & Musas ardenter amabat amœnas.
In patrio ergò solo, Linguæ *Rudimenta* Latinæ
Addiscens, teneros simul & Virtutibus annos
Imbuit: illarum sensim & radicibus actis,
Jam pietate calens, probitateque præditus omni,
Aurea mens ejus, Divæ Virtutis amore
Flagrat, & immensos Virtutum in tramite gressus
Perficit, utque Gigas decumanis passibus ibat,
Per Virtutis iter: Puerûmque crepundia temnens,
Cælitus instruitur: Quod perfectissima semper
Hæc sit *SYNTAXIS*, *CONSTRUCTIO* & *Optima*: Si mens
Usque *DEO* conjuncta foret, coleretque Tonantem;
Conscia mens recti semper sin esset, & Artis
Sit comes integritas, socia ac sit mascula Virtus.
Sicque *Solœcismum*, vitium *Syntaxeos* atrox,
Ac animi nævos, cane pejus & angue, minutos

Is *declinabat*, *conjungens* optima ſemper.
Sic ubi jam juvenis, Muſarum inceperat Artes
Diſcere: jamque foret multùm progreſſus in illis,
Aſchaffenburgum (Nomen fons indidit *Aſchaff*,
Arx ubi *Suvicardi* turrita cacumina ſummi
Nubibus immiſcet cæli, ſuperasque per Auras
Surgunt Regali fabrefacta Palatia faſtu)
Deproperat, cœptas cupiens abſolvere Muſas;
Namque ſciebat, ibi ſedes fixiſſe Camœnas,
Eſſeque Virtutum, morum, Pietatis & Artis
Ædes, atque Lycæa ſacro gratiſſima Phœbo.
Non ego, ſi totus fierem vel Lingua Maronis,
Vel tenui modulo, in ſtudiis quos fecerit illic
Progreſſus, memorare queo: Namque omnibus illic
Ob Mores acceptus erat, vehementer & illum
Pro ſe quisque ſibi attrahere, amplectique ſtudebat:
Prævaluêre tamen ſolæ, mihi credite, Muſæ.
Sæpè Lyram Clio, Plectrum porrexit Apollo,
Dictabantque ſales, Charites: Sapientia, Suada
Illum ſæpè ſuis medium ſtatuêre choreis.
Innocui hinc mores, Artisque peritia rara,
Tantum ac Ingenium, Dulcedo tantaque morum.
Cum pietate ſimul, doctæ nam ſacra Minervæ
Caſtra reconjungens, alios excelluit omnes.
Quemcunque ingreſſus campum, illi Laurea ceſſit:
Carmina ſeu condat, ſivè aptet pulchra ſolutis
Argumenta modis: niveis Victoria pennis
Advolat, & ferme rapit omnia præmia ſolus.
Nam decor ille Scholæ, vereque illuſtre Lycæi
Lumen erat: Fandi nam quolibet Ordine eidem
Orator nullus ſimilis, nullusque *Poëta*.
Florebat tenerâ ſic jam Blöchinger in Herbâ.
Aſt ubi prætextam poſuit, mox Gloria calcar
Subdidit: hinc *Sophicos campos*, ſublimeque Phœbi
Currere proponit *ſtadium*, *Stoævè* Lycæum.
Deſerit hinc Patriam, & natalia deſerit arva,
Adque Urbem properat, quæ dicta *Artaunia* quondam,
Sed nunc *Herbipolis*: Vino ditiſſima & arvo,
Inclyta magnificis ſtructuris, ſplendida templis:
Sæpè ubi docta gerit verbis, calamisque duella
Pallas, & Aonius fixit tentoria Phœbus.
Huc abit exultans, cum ſummâ ut laude coronam
Captaret *Sophiæ*, inque dies majoribus auſis

Tolleret

Tolleret ingentes animos, curamque virilem
Antè annos gereret, vixdùm (mirabile dictu!)
Solares vitâ ter quinque peregerat Annos.
Tum verò *Herbipoli*, Studioſæ ex ordine Genti
Tradebat *Sophiam*, *Sophici* pars prima *Senatûs*
Corpore procerus *, *Sophicâ* ſed major in *arte*.
Hic Adoleſcentis ſtudium, celebresque ſagacis
Ingenii admirans dotes, ac mentis acumen,
Et quam magna foret tantillo in corpore Virtus,
Non arcto contenta loco: ac induſtria, quòd vi
Nullâ perfringi aut ſtudiorum pondere poſſet;
Hunc ſic præ reliquis fuit exhortatus amanter:
Ignavum nullum juxtà præcordia frigus,
Eſt *NICOLAE*, Tibi! verùm tua pectora circùm
Subjecit Natura parens vivacia flammæ
Semina, & ardenti diſtendit ſanguine venas,
Ingeniumque luto finxit meliore Promethêus.
Quare age! cum *Sophicis centauris* atque *Chymæris*
Ne timeas conferre caput, calamumque, manumque:
Victor eris, nunquam *victus*, ſemperque trophæis
Clarus, & ex *Acie* cum laude *Brabeuta* redibis:
Dignus eris olim potiori ut jure triumphes,
Quàm de ſuppreſſis Romanus Scipio Pœnis.
Dixerat: & vehemens, fervensque ardeſcit in illo
Mox ſitis, ac animi cupidiſſima flamma ſciendi;
Nocte, dieque igitur ſtudiis vehementius inſtat,
Devorat & multos animosâ mente labores
In *Sophiæ Stadio*: celeres Amor addidit alas.
Non oculos tenuit ſomnus, non tædia mentem,
Sæpè Cleanthæas redolebant ſcripta lucernas,
Nec terrebat eum magnorum turbo laborum.
Se ſubſternebant illi *Logicalia monſtra*,
Hippocentauri, *Scauri*, domuitque *Chymæras*:
Ac ſuper illorum proſtrata Cadavera *Victor*
Inclytus exuviis, ipſâ aurigante *Sophiâ*
Incedebat ovans, connitens ſemper ad alta.
Sicque innutritus ſtudiis, *Sophicisq; triumphis*
Dives & ornatus, veluti generoſus Jaſon:
Parvulus audebat Cathedras jam ſcandere ſummas.
Ex condiſcipulis poſt multa examina, namque
Solus is inventus, qui ceu fortiſſimus Heros,
Primus in *Hippodromo Logicali* ſtaret, & Hoſtes

* *Eximius P. Kolkmann. S. J.*

STOÆ oppugnantes *Aciem* * devinceret, atque
Argumentorum nodos dissolveret omnes,
Atque refutaret sic: Tota *Academica* ut *Aula*
Demiraretur juvenem, geniumque stuperet
Taliter, ut doctis foret hæc vox omnibus una:
A teneris adeò Logicam defendere, multum est.

§. 4.

Ingressus Religionis & Sacerdotium.

ARtibus & Sophiâ, dum sic adoleverat ætas,
Jamque suum partes animum versaret in omnes,
An magis *Astræam* succensus amore sequatur,
Aut *Medicam* fortasse *Deam* (quam semper amabat,
Ipsemet ut retulit mihi sæpiùs) annè sacratam
Theologiam eligeret, pandentem limina cæli?
Sic animo dubius, crebrò noctuque, diuque
Sollicitus, nunc huc animum, nunc dividit illuc.
Nox erat, obvelans nigro velamine terras,
Sed dum cuncta silent, oppressaque corpora somno
Fessa jacent: vigilem juvenem tunc sæpè gravabant
Anxiferæ curæ. Lassus tandemque siiaves
Solvitur in somnos, oculis non pectore noctem
Excipit: *Eusebie* * sed ei cælestis imago
Se obtulit in somnis, illumque ita visa monere:
Quid, *Nicolae*, tuo substrictis corde volutas?
Sat Musis, mihi crede, datum: ad majora vocaris
Præmia, majores cælum decrevit honores;
Dummodò Tu monitus nostros & jussa sequaris.
Sum *DEA*, confiteorque *DEUM*, nec fallere possum;
Ergò mihi credas: ad tempus linque Sophorum
Turbam, sitque æterna Tibi Sapientia cordi,
Quæ septemgemini distincta volumina cæli
Condidit, atque suis regit, & moderatur habenis.
Hanc ut percipias, fallacia gaudia Mundi
(Sub melico tantùm præbet qui felle venenum)
Linque: Voluptates & titillantia sensus
Blandimenta fuge, & carnem contemne salacem,
Quæ solet ad barathrum incautam raptare juventam.
Multa ut complectar paucis: Vâh! desere Mundum,
Subque sacro labaro *Benedicti* pergito *Patris*
Militiam pugnare sacram: Cacodæmonis astus
Deride, vanam Mundi calcatoque pompam:

* *Thesium titulus fuit:* Acies peripatetica. ** *Dei scientia.*

Sic olim *Tu* magnus eris (præſagio certa)
Ordinis Anicii ſplendor, *Præſulq́* futurus.
Ergò age! rumpe moras! *Benedicti caſtra* ſequaris:
Sat Sophiæ, Muſisque datum: me vera videbis
Vaticinâſſe Tibi, Superûm mandata capeſce.
Dixerat: ac iterum ſe nocti immiſcuit atræ.
Attamen evigilans juvenis cæleſtia viſa
Ruminat; at rigidis titubabant membra capillis.
Colligit aſt ſubitò mentem, mœſtumque timorem
Depulit: extendens ambas ad ſidera palmas,
Affaturque *DEUM*, fundens has corde loquelas:
Conditor omnipotens, exaudi vota clientis!
Reſpice me, Tua qui poſthac ad juſſa paratus.
Auxiliare, rogo, ſanctoque juvamine vires,
Ingentesque animos generoſis auſibus addas:
Namque ex hoc ſervire *DEO* deſidero ſoli.
Eſt ſatis ergò datum Muſis: procul ito profana
Gens hinc Caſtalidum! valeat quoque turma Sophorum;
Nunc aliò me Fata vocant: ſubit altior ætas,
Hinc alia eſt quercus mihi discutienda: Supremus
Me *DEUS* eccè vocat, cujus Sapientia Mundum
Regnat, cujus Amor quoque ſingula in orbe gubernat;
Ad tempus valeant Charites, valeantque Camœnæ,
Nam me nunc alius Phœbus ſuccendit amore.
Vix ea fatus erat, mox Relligionis amore
Flagrans, Herbipoli lætus diſcedit, amatam
Deſerit & Patriam, Mœno tandemque ſecundo
Ad *Seligenſtadium* dilabitur atque propinquat.
Moxque loci ſacri ſacrâ dulcedine captus,
Hic locus, exclamat, portus, *ſtatioq́ beata* eſt:
Hic famulabor ego Superis, hic gaudia cæli
Plenâ mente bibam: hic verè ſecura procellis
Eſt ſtatio. Ah! Fraterna cohors, me ſuſcipe, quæſo,
Indignum famulum; mihi nam placet ire labores
In veſtros, vigilesque ſimul producere noctes,
Inque choro laudare *DEUM* noctuque diuque:
Ambio namque mori cêu Miles in *Urbe beatâ*.
Regalis clauſtri pro tunc Venerabilis *Abbas*
Et *Prælatus* erat, *Franciſcus* nominis hujus
Primus: is ingenuos mores, doteſque ſtupendas
Advertens juvenis, reſolutâ mente petitis
Annuit illius: mox hinc adſcripſit eundem
Albo Natorum, monachali & dotat amictu:

Lætus is immundi ſic deſerit orgia Mundi.
Sed quia præ reliquis fuerat Neo-Fratribus hiccè
Charior *Abbati*, *Franciſci* nomen eidem
Impoſuit: *Succeſſorem*, quod fortè futurum
Hunc fore prævidit, veluti præſagus Apollo.
Cum ſic ingreſſus *Seligenſtadienſe* novellus*
Tyro foret clauſtrum, novus ut Pugil atque Strategus
Tres Hoſtes: Mundum, Carnem, Cacodæmona mente
Magnanimâ aggreditur, debellat & uſque triumphat.
Sæpiùs Harpyas Acheron, & Tartara in illum
Fulmina vibrabant, ſed ſemper cuncta retundit
In Virtute crucis: veluti fortiſſimus Heros,
Robur & æs triplex circa præcordia geſtans,
Dæmonis & Paphiæ vicit ludibria larvæ,
Virque velut fortis *Domini certamina* certat.
Et quoniam internum vegetabat Gratia robur,
Nullis ponderibus, nullisque laboribus unquàm
Subtraxit ſeſe: cum gaudio at omnia ſuffert
Impavidis humeris: verè omnibus omnia factus.
Aſt *Humilis* magnum ne forſan Nomen inane
Franciſci gereret: ſtudet ejus & æmulus eſſe
Virtutis, mira hinc in eo Demiſſio mentis.
Sed quantò magis ima petit, tantò altius alis
Præpetibus fertur: Virtus eſt lucida, quanquàm
Non velit, apparet: Solique ſimillima mittit
Per rimas tenues radios, ſeque indicat ipſam.
Nàm licet ut *Benedictinus*, pullatus ab extrà
Hic foret, interius niveum tamen uſque nitorem
Candoremque animi ſibi conſervare ſtudebat.
Hinc Tyrocinii lapſo feliciter anno
Lætus & exultans toto plaudenteque cœtu
Conventûs, ritè & ſolenniter eſtque profeſſus.**
Et quoniam aſſiduo properabat tramite recto
Ad veræ Virtutis iter, ſic tempere parvo
Cœnobii, Clauſtrique ſui venerabile morum
Cum foret Exemplar, Fratres ſic eminet inter,
Quantum lenta ſolent inter viburna cupreſſi.
Sed quia grandævis jam jam maturuit ætas
Rebus, olympiade unâ in Relligione peractâ
(Quod priùs hoc ætas non permittebat) eundem
Sacrum ad Myſtarum Virtus promovit honorem.
Ergò Sacerdotum ſacro conſcriptus in albo,

Primi-

* *An.* 1677. 11. *Julii inveſtitus.* ** *Profeſſus An.* 1678. *in feſto S. Franciſci Borgiæ.*

Primitias celebrans Octobri Menſe*, ſupremi
Pharmacon immortale *DEI*, pignusque ſalutis
Obtulit, atque cibum, qui Nectare dulcior omni
Lautitias Ganymedæas, Sybaritica vincit
Pocula, & electos avidi Gnathonis amores.
Sic igitur Myſtas inter, Proceresque ſtolatos
Vadit ovans, non vile caput, mens libera, ſoli
Sueta *DEO* ſervire, viamque capeſſere cæli.
Nam pro peccatis Populi mactabat ad aram
Crebrius hunc Agnum: qui robore fortior omni
Imperioque Jovis, magni fundamina Mundi
Concutit, & nutu cælum, Terramque gubernat.
Sæpius hinc ſolidâ ſuſpirat ad æthera mente,
Vicinumque ſibi jam præmeditatur Olympum,
Cæleſti Ambroſiâ paſcens ſe, & Nectare potans.
Sed quo Muſa procax, quo me rapis? indoctumque
Magna jubes tenui nimiùm cantare cicutâ?

§. 5.

Promotio ad Doctoratum in Univerſitate Moguntina.

ALbo Myſtarum inſertus, factusque Sacerdos
Intus Lux illi mox Dia affulgere viſa,
Ingeniique facem accendit maturior ætas;
Magna equidem Virtus, præſtans doctrina, ſtupendæ
Ingenii dotes, perrara Modeſtia, mentis
Candor & ingenuus, vigil & Prudentia, rerum
Magnarumque capax pectus, doctrinaque rara
Finibus includi nullis, nullaque teneri
Clauſtri parte queunt: quoniamque inſigne futurum
Cœnobii decus hunc ſperabant atque videbant:
Providus hinc *Abbas Franciſcus* nominis hujus
Primus, eum cauſâ ſtudiorum ablegat ad urbem;
(Rhenus ubi oppletæ Mœno Pater incubat urnæ,
Rhenus Moganicos inter celeberrimus amnes)
Nota ubi Palladiis Academia certat Athenis.
Non mihi centenis reſonent ſi vocibus ora,
Ipſaque laxandis, fandi cui copia, labris
Suada natet, totusque meo ſtet pectore Pindus,
Hic quam difficiles, decumanos atque labores
De nocte atque die ſit paſſus, dicere poſſim.
Vidi ego, cum croceos Aurora impexa capillos
Eoi recubabat adhuc ſub littoris undâ,

Phospho-

* *An.* 1683. *in ipſo S. Franciſci feſto.*

Phosphorus & niveas ductûrus in æthera bigas,
Jam prius obductos umbris tergebat ocellos;
Quod ſtudio incumbens, mentemque abreptus, in altis
Vel *Fidei ſenſis*, *Sophiæ* vel in *arte* profanæ
Diſtentus, multas non motus duxerit horas.
Vidi ego (nec tantos animi ſat laudo calores)
Sæpè, quod obſeſſus tot apertis undique libris
Sederit, in Pindo quot Muſis cinctus Apollo.
Et ſic multoties, ignavi neſcius Otî,
Febricitans etiam noctesque diesque trahebat,
Aſſiduò volvens ſinuoſa volumina ſacræ
Theologiæ, *THOMÆ*que *tomos* ac themata: namque
Sicut Apis flores & rura halantia circùm
Omnibus è pratis decerpſit ſingula libans,
Dulciaque è foliis expreſſit Victor amaris
Mella; quibus priſco collectum Nectar Hymetto.
Dum *proponebat* vel *defendebat*, eundem
Aula admiratur, reſponſaque docta ſtupebat.
Proximus hinc ſemper Primo fuit: ilicet indè
Nam quod iter multi longis ambagibus errant,
Hic quaſi per planum directo tramite currens,
Antevolat Comites, nec tantùm æqualia tranſit
Agmina, ſed canos linquit poſt terga Magiſtros.
Hinc (quod inauditum, vix & quod poſtera credent
Secula) completâ necdum Trieteride totâ,
Cœtus Academicus, rubeus Patrumque Senatus,
Mox illi *Doctoratûs Inſignia* confert,
Et velut *Eximium Doctoris Epomide* veſtit.
Si Tua ſic primis ſe gloria monſtrat in annis,
Quantus eris quondam, Tua ſi ſapientia plenis
Jam matura annis, cêu ſol altiſſimus orbe
Fulſerit in medio, ſteteritque in cardine ſummo!

§. 6.

In nativo Monaſterio fit Philoſophiæ & Theologiæ Profeſſor, Prior & tandem Parochus in Steinheim.

VIx decoratus erat merito *Doctoris* honore,
Mox â *Prælato* nativa ad clauſtra vocatur,
Ut Labyrinthæos *Logicæ*, *Phyſicæq;* receſſus
Ac *Sophiam* Fratres expertus in arte doceret.
Ille docens, olim noſtra inter tecta *Profeſſor*
Informem teneram dum fingeret arte juventam,
Quêis animus caluit generoſos prodidit æſtus.

Omni-

Omnibus eſt notum, quot pectoris impete toto
Tædia tetra vir hic magno perfregerit auſu.
Non ſic Entellus, cæſtu notiſſimus Heros,
Brachia jactavit, cum ſterneret ille Dareta;
Non ſic, navifragis ruptâ qui nave procellis
Mergitur, adverſas manibusque & calcibus undas
Amovet, & labris Pontum protrudit anhelis:
Hic ut perrupit cunctarum obſtacula rerum.
Fertur Ariſtoteles, *DEUS* orbis dictus Achivi,
Crebra ſibi ex ſtudiis finxiſſe inſomnia noctu,
Quæ vigilans animus dudum libaverat ante:
Fertur & ad ſonitum, certâ qui mole ruebat,
Evigilâſſe globi; Muſas petiiſſe relictas.
Noſter hic inſomnes, illectus amore ſciendi,
Combuſſit noctes: licet uda papavera Morphêus
Spargeret, & meritum ſuaderent lumina ſomnum.
Cùm laudabiliter *Lectoris* munere functus
Sic annis aliquot foret, & per pulpita Nomen
Illius notum fieret ſatis atque celebre.
Uſque novas ardet virtus ſibi quærere ſphæras,
Ignis ad ingenium gradiens: reperitque, facitvè
Illa vias. *Nativa Domus* viduata *Priore*
Tunc erat, & munus vacuum ſubit impiger Atlas.
Quod grave, ſi ſpectes, humeris, leve pondus amanti;
Pectore dum toto zelus calet, Entheus ardor
Latius inflammans animos in juſſa ſequaces.
Nam quamvis viridis vernaret flore juventæ,
Mente tamen, ſenſuque ſenex, Virtutis adultæ
Uſque dabat ſpecimen: poterat jam gloria dici
Clauſtri, *Nurſiaciq; gregis*, vitæque Magiſter.
Semper ei conſtans vitæ tenor, illius omnis
Ad veterum compoſita Patrum, legesque ſacratas
Vita fuit: veluti ſpeculum venerabile morum.
Nondum hic Herculeas ſtatuit, poſuitque columnas,
Tendere *plus ultrà* voluit, quò Gloria duxit.
Ipſe quidem optabat Clauſtri latitare ſub umbrâ:
Verùm luce prius lateant in montibus arces,
Aut Nocte in ſummis celetur turribus ignis,
Obruta quàm longùm jaceat ſine nomine Virtus.
Hæc & eum invitum ex clauſtro quoque traxit amato;
In *Steinheim* nam cum Parocho Parochia careret,
Principis ex juſſu *Mogoni* hæc confertur eidem,
Atque ovium *Paſtor* vigil eſſe jubetur ibidem:

Quò certè *Steinheim* meliorem poſcere nullum
Tu poteras, quamvis de millibus elegiſſes.
Dic mihi cum rapido fureret Bellona flagello,
Ac charam Patriam quateret Mars Gallicus omnem:
Nonnè fuit pavidi vigil is protector ovilis?
Verbi nonnè fuit Divini præco ſtupendus?
Romanæ & Fidei Pugil & Defenſor is acer?
Quot non Herculeos pro Relligione labores,
Impavidâ Virtute animi fuit auſus adire?
Tunc etiam (*Caſtrum* cum *Steinheimenſe* foveret
In ſe præſidium, *Calvini* milite conſtans)
Vidit & obſtupuit dicentem ſæpius huncce
Hanovia, atque (quaſi Cicero redivivus is eſſet)
Admirata fuit: nam per ſacra Roſtra patentem
Vix vocem extulerat, mox per cava templa ruebat
Ex alto liquidus, puroque ſimillimus amni:
Cum ſonitu in valles labenti è montibus altis,
Verborum Torrens: veluti novus atque *Pericles*,
Terrebat reprobos Divini Fulmine Verbi,
E contraque probos ſuavi ſermone trahebat.
Hoc atteſtantur tot magna volumina ſcripta,
Totque ſacri Libri, quos illo tempore *Doctor*
Edidit in lucem: quêis fandi & dulce loquendi
Nobile Nectar ineſt, facunda & Teutona Siren,
Dulces quas Suadæ & Charitum decus omne coronat.
Herculis auratas fluxiſſe ex ore catenas
Illius, *ANSELMUS PRINCEPS* fuit ipſe profatus.
Quanta ſit & cultæ vernans Facundia linguæ,
Haud ſemel id *Mogonæ Patriæ* qui tractat habenas
LOTHARIUS Princeps fuit atteſtatus abundè,
Cum ſæpè ex Cathedrâ dicentem audivit eundem.
Sæpè & aberrantes, multos cum Matribus Agnos,
Protinus ad priſci *Paſtoris Ovile* reduxit:
Errantes revocans, revocatis crimina donans,
Perverſis patiens, clemens placidusque regreſſis.
Cêuque novus *Paulus*, fuit *omnibus omnia factus*:
Potus namque fuit ſitientibus, Eſca famenti,
Solamen viduis, Lux cæcis, Dextera laſſis:
Omnibus ut præerat, ſic omnes ille præibat
Exemplo uſque bono, & vitæ pietate trahebat.
Tanti Fama viri Latiam quoque venit ad Urbem:
Tybridis Auſonii Dominus ſummusque Monarcha,
Telluris, Cælique, Urbis Regnator & Orbis

Quadru-

Quadruplici rutilum caput obvelatus amictu, *
Hinc transmisit ei *speciosum* Papa *Galerum*,
Ac diploma dedit; quo *Protonotarius* esset
Sedis Apostolicæ, foret atque *Minister honoris.*
Eccè! libens fateor, foret hic fas dicere plura:
Claudere sed rivos, tua nota modestia mandat.

§. 7.

Tandem in Abbatem electus cultum Divinum & Decorem Domus DEI promovet.

NOn tamen hic stetit, ast ultrà ad majora tetendit:
Quid loquor? erravi: Fuit ad Majora vocatus.
Octo namque annis *Parochi* cum munere functus
Hic fuerat, multas animas lucratus & esset:
Ac jam *FRANCISCUS PRÆLATUS* in *Urbe Beatâ*
Annis & meritis dives, transisset ad Astra.
PRÆSULIS hic tandem venerandum sumere munus
Cogitur invitus, Mitrâ circumdare frontem,
Ferre Pedum dextrâ, & sandalia splendida plantis.
Antè quidem variis virtutibus usque refulsit,
ABBATIS verò titulo decoratus, Honoris
Circumquaque suum, veluti fax fulgida, lumen
Clarius evibrat, Patriæ & communicat omni.
Qualia sed rerum gestarum exordia sumam,
Aut quibus has ipsas verbis extollere laudes
Aggrediar? turbat conantem, ac multa moratur
Copia, nec certo patitur procedere passu.
Adnitar tamen: ast magnum, vastumque *TUARUM*
Virtutum ingrediens campum, Laudumque patentem
Oceanum, celeri tranabo per æquora cursu:
Cecropias imitabor Apes, quæ florea rura
Dum carptim libant, passim meliora relinquunt.
Vix erat *Electus*, mox Archiepiscopus, atque
Elector Mogonus, *Comitum* de stemmate *SCHÖNBORN*
Natus, *LOTHARIUS* (qui tum residebat in Aulâ
Bambergæ) solito ritu *confirmat* eundem:
Confestimque jubet, det mox ut Episcopus illi
Solenni ritu Baculum, Mitramque bicornem
PRÆSULIS, in Magni *BENEDICTI* Luce sacratâ.
Ut felix igitur Regimen foret atque secundum,
A Jove principium ducit: quia namque sciebat,
Quod *PIETAS* sit grata polo, venerabilis orbi,

* *Innocentius* XI. *Papa.*

Cardoque Virtutum cunctarum, ac Anchora Vitæ,
Cûilibet ac homini ſemper tutiſſima Virtus,
Et Recti Nutrix: erat hinc ſacra ſemper eidem
Relligio, cultusque *DEI* ſuper omnia cordi.
Hunc ut adaugeret, plures mox eccè novellos
Aſſumit Fratres, totâ qui nocte, dieque
Ædibus in ſacris Jeſſæi Cantica Vatis
Devotè pſallant, ſuperisque Libamina ſolvant.
Attamen illorum foret ut Melodia Tonanti
Gratior, inceptum à Prædeceſſore ſtupendum,
Nobile & Artis opus (communiter organa dicunt)
Sumptibus immenſis, impenſis atque profuſis,
Perfici & abſolvi mandat velocius: utque
Cêu novus Amphion Thebanus, more süavi
Invitos etiam trahat ad Capitolia Templi;
Nablia, ſiſtra, cheles, ac barbita, raraque plectra
Comparat, ac Divûm cuncta hæc ſacrabat honori:
Ordinis ac habitum donabat talibus ultrò,
Gurgite demiſſo qui vel cantare ſciebant
Baſſum, vel poterant imitari gutture Nymphas,
Sirenumque modos *Altos*, mediumvè *Tenorem*.
Mortua, ſic ipſo Philomuſo *Abbate*, revixit
Muſica: grata *DEO*, Superûm decus atque voluptas.
Omnis ut accedens noſtri Laquearia Templi,
Tempore Divini Officii diſcrimina vocum
Audiat attonitus, Fratres ſtupeatque phonaſcos.
Major ut indè foret Templi decor atque venuſtas,
Magnifico ſumptu cunctas prælargiter Aras
Curat inaurari: Majeſtas major ineſſet
Utque *DEI* Domui, duodenos eccè Senatûs
Juſſit Apoſtolici. Proceres ſculpi arte Myronis,
Hos celſis fani biſſenis atque columnis
Præcipit imponi: quos Advena ſuſpicit omnis,
Phidiacaque manu, quia facta toreumata, ocellos
Hinc ſpectatores rapiunt, ſtupidosque relinquunt.
Cumque pavimentum templi per plurima ſecla
Jam foret attritum, rubeo de marmore mandat
Subſtitui eccè! novum: fiant at ut omnia ritè,
Atque accuratè celebrentur nocte, dieque
Divinæ Laudes: Horaria machina talis
Erigitur, cunctas quæ non modò nuntiet horas,
Aſt & Quadrantes tinnitibus indicet omnes.
Quis prius innumeras maris aſt numerabit arenas,

Quàm

Quàm narrare queat: ſub eo ſacrata ſupellex
Qualiter aucta fuit; Paramenta quot aurea, noſtræ
Ille Sacriſtiæ dederit: Nam, quæſo, quis omnes
Enumeret Calices, argentea Pocˆla, Patenas,
Malluvia, Ampullas, Vexilla, novosque Chorales
Libros, atque Cruces, argenti pondere valdè
Quæ gravidæ, multas Libras, Marcasque trahentes?
Attamen hæc inter (ſacræ quæ contulit ædi)
Virginis effigies tantum caput extulit altum,
Quantum inter denſas corylos ſolet ardua quercus.
Ut ſe Diviparæ nam Virginis eſſe Clientem
Monſtraret: notâ fieri curavit in urbe
(Quæ nunc Vindelicæ caput eſt ac gloria gentis
Unica, Suevorum quam Vinda, Lycusque pererrant)
Arte Polycleti ſtatuam, effigiemque ſat altam,
Puro ex argento: Matris quæ Virginis ejus
Ora refert, culpæ quæ primâ ab origine nullos
Contraxit nævos: opus eſt mirabile viſu,
Ingens artis opus, nullique imitabile dextræ,
Aſpectu ſatians oculos, recreansque tuendo.
Os, humerosque Deæ ſimilis, micat aurea veſtis
Sole laceſſita: & bis ſex pulchro ordine circum
Præcingunt nitidâ collectos lege capillos,
Contentæ hoc cœlo ſtellæ: Pulcherrimus ore,
Nec Patre mortali genitus, per eburnea colla
Virginis, infuſus pendet Puer: inſuper Anguis
Monſtrum horrendum, informe, involvens orbibus orbes,
Non tamen inſultans, criſtasque in ſidera torquens,
Sub pedibus victus jacet, & compagibus arctis
Poſt tergum vinctus, fremit horridus, ore cruentus.
Ex enarratis poterit cognoſcere quivis,
Qualiter ille *DEI* cultum, Templique decorem
Auxerit: omitto Lectori plura referre,
Nautea ne fiat carmen, vel nauſea grandis.

§. 8.

Studium inſigniter promovet, & ab Eminentiſſimo Moguntino denuntiatur Conſiliarius, & ab Auguſtiſſimo LEOPOLDO Comes Palatinus.

QUod Sol in cælo, rutilans quod Jaſpis in auro:
Hoc fuit, eſt & erit, ſemper Clauſtrisque manebit
Ingenuum ſtudium, quod cum probitate ligatum.
Sicut enim Phœbus radioſo lumine mundum

Vivificat, recreat, vegetat, tribuitque vigorem,
Erigit & motu torpore jacentia rerum:
Sic quoque Panſophiæ ſtudium, ſic Palladis artes,
Omnia vivificant, & Clauſtris omnia donant:
Artes ſunt etenim nervi, fontesque bonorum,
Undè ſuos res priva, ſuos res publica fructus
Colligit ac haurit: Studii *FRANCISCUS* ut ergò
Doctor hic *Eximius* foret Inſtaurator & Auctor,
Firmiter Aonias ſtatuit revocare Camœnas
Exilio preſſas longo, & ſacra templa Sophiæ
Reſtaurare: volens lapſis ſuccurrere Muſis.
Haud mora: Doctorem famoſum ex Urbe Viennâ,
Nomine *Beſſelium** (qui clarus Epomide ſacræ
Thêulogiæ fuerat, non impar moribus ulli,
Nec Virtute minor) vocat: has ut traderet artes,
Quas quondam docuit Peripati gloria prima,
Magnus Ariſtoteles, famâ ſuper æthera notus,
Divinusque Plato, Samiique ſilentia docti,
Stoa quod & docuit rigidos antiqua Magiſtros:
Donec Romuleo ſuccederet acta cothurno
Thejoſophia lari, Rectique doceret *Aquinas*
Socratico ore vigil teneras Oracula mentes.
Hinc numeroſa phalanx Fratrum, Patrumque caterva
Currit ad Aonios fontes haurire liquores,
Non aliter quam preſſa ſiti dum guttura cervis
Sicca patent, non herba placet, non copia frondis:
At Si conſpiciunt tenui procul imbre madentes
Exigui fontis ſcatebras, ad limpida fontis
Oſtia veloci impatiens ruit impete turba.
Sic proles, *BENEDICTE* tuæ, ſic totus hianti
Pectore grex ſitiens ad mellea pocula Muſæ
Convolat, atque ſacro ſtudiorum Nectare mentem
Expleturus adeſt: hic germina Relligionis
Aſſiduo Doctrina fovet ſanctiſſima rore,
Et fecunda Viros tenui de germine formans,
Suſcitat afflictis quondam nova gaudia Muſis.
Hinc nebulæ inſcitiæ fugiunt, ac otia vitæ,
Murcia fœda fugit, fugit ultrà Seras & Indos.
Deſidiæ monſtrum: ſed Relligioſa vireſcit
Vita, viget Pietas, floretque ante omnia Pallas;
Ac lætas iterum Muſæ duxêre choreas.
Floruit & *Sophie*: nam mox nudata pateſcunt Littora

* *Qui nunc Eminentiſſimi Moguntini eſt Officialis, &c.*

Littora Ariſtotelis, cauſasque, ortusque, novosque
Interitus rerum, ſubtilis remige mentis
Percipiunt: cæli motus, ſcrutantur & orbes,
Et meteora, juga & montes, vallesque pererrant,
Ac perſcrutantur. Sed mens quid inhæreat iſtis,
Nata diu ſummis? animis graviora volutat.
Ambitione piâ Fratrum ſtudioſa caterva
Virtutum ſtudio certatim ardeſcere cœpit.
Attica ſicut Apis ſaltusque, nemusque pererrans,
Florigeras valles, & clivum dulcis Hymetti
Mella legit: ſic hi Doctrinæ ſuavia mella
Ex ſcriptis libant ſacris, ſuguntque profanis:
Cor^cla Camœnarum crebrò melioribus horis
Conveniunt, & ſicut apes per gemmea prata
Delibant Sophiæ ſuccos, Nectarque ſalubre.
Verùm non Artes tantùm viruêre profanæ,
Sed quoque quæ Superis cognata ſcientia, ſummum
Quæque ſub obſcuro Fidei fulgore Tonantem
Aſpicit, & Genios, celſique Tonantis Ephebos
Thêjologia: trahens à Divûm Numine nomen.
Sic, ut Palladium veraciter atque Lycæum,
Artis & Emporium nunc *Urbs* ſit noſtra *BEATA:*
Et ſic doctiloquus fixit tentoria Phœbus,
Auriculisque aſini deformis dura ſtribligo,
Barbaries pedibus jacet à *TE PRÆSULE* pulſa.
Dum ſic reſtauras Muſas, O *Maxime PRÆSUL!*
Conſiliisque catis in commoda publica ſudas,
Et jus omne teris, complexus mente receſſus
Abſtruſos, Juris nodos, ænigmata Legum
Sæpius & cauſas & lubrica fata clientum
Enodas, Legumque implexa oracula ſolvis,
Stasque velut *Cicero pro* ſacrâ Numinis *æde,*
Commiſſamque domum tibi protegis atque tueris,
Et multas dirimis * lites, & jure triumphas:
TE TE LOTHARIUS, *Mogonæ* qui præſidet *Urbi,*
Præſul & *Elector Princeps Celſisſimus*, altas
Ingenii ob dotes magno decoravit honore,
Et *Conſultoris* titulum Tibi contulit ultrò,
Eſſes ut *Mogonæ Conſus* celeberrimus *Aulæ.*
Audit ut hæc Cæſar *LEOPOLDUS*, nominis hujus
PRIMUS, confeſtim *Comitem* Te *Cæſaris Aulæ*
Fecit, & inſeruit titulo, pompæque nitori

Ardua

---

* *Vide Litteras* Z. AA. BB.

Ardua *Cæsarei* sacri *Comitiva Palati.*
Delicium nostrum, *Studiorum Magne Mecæna,*
Justitiæ Custos, Vindex, Themidisque Sacerdos,
Serves jura Pedi, Mitræ tuearis honorem,
Et semper contrà quoscunque tenaciter hostes
Jura Monasterii *Regalia* protege nostri.
Sic æternus eris, *MAGNUS* sic *PRÆSUL* ubique
Plausibus assiduis semper celebrabere nostris;
Et, quod in æternis firmabit Jupiter annis,
Semper honos, Nomenque Tuum, Laudesque manebunt.

§. 9.

Felix Oeconomus, varia ædificia funditus erigit.

SIC Superûm cultus cum jam promotus, avitus
Et Musis rediisset honos: mox grandia magno
Pectore facta coquit, rapitur super ardua mente,
Quæque fatigati timuerunt mole Parentes,
Herculea Virtute domat, *PAR PLURIBUS UNUS.*
Jura Monasterii non tantùm mordicus inde
Conservare studet *, sed & amplificare laborat.
Nocte dieque igitur studiosè scripta vetusti
Perlegit Archivi, confertque sequentibus annis:
Rimatur quæcunque latent, penitusque recessus
Lustrat, & inquirit solertis Lyncis adinstar.
Sed cum multa sacro claustro divulsa videret
Jugera, agrosque: pio volvit sub pectore questus.
Plus tamen indoluit, cum Privilegia plura
Bellonæ ob furias nunc antiquata jacere,
Et passim Regalia jura sepulta videret.
Quos ego! clamabat: subitò sed mente quievit,
Immodicosque animi studuit componere fluctus.
Hæc tamen una Virum pergebat rodere cura,
Quâ tandem ratione, modo, methodovè priori
Restitui *Urbs* posset, statui, reddive *Beata.*
Hæc dum sollicitâ *PRÆLATUS* mente volutat,
Remque *DEO* commendaret: jam plura parantem
Verba loqui, *DEUS* ipse docet, quod fata futura
Claustro restituent tandem deperdita jura.
Abjice sollicitos, inquit, de corde pavores;
Quæ loquor, attendas, Tibi nam secreta revelo:
Nam melior rerum facies, antiqua redibit
Cœnobioque salus, sacræ reddentur & ædi

Jugera,

* *Vide Litt.* N. O. P.

D. O. M. pag. 89.

Posuit ex fundamento D. FRANCISCVS BLECHINGER Antiquissimi et Regalis Monasterij in Seeligenstatt Ord. S. Benedicti Abbas, Sᶜᵉ Theologiæ Doctor. S. Cæs. Majestatis, nec non Eminentissimi Archi-Præsulis Moguntini Respectivè in Spiritualibus Consiliarius, Protonotarius Apostolicus et Comes Palatinus Cæsareus et Pontificius, Dominus in Beißelbach cum Appertinentijs, qui hanc Villam multo ære Monasterio Suo in Integrum et cum omnibus Juribus Suis recuperavit. &c. &c.

Omne Tulit punctum, qui Miscuit Utile pulchro.

Longit: 340. ped. Latit 127. ped.

A. Des Herrn Haus und Desse grundriß.
B. Das Hoff-Haus.
C. Die Hoff-Scheuer
D. Die Zehne Scheuer

E. Die Stallung



Bayerische
Staatsbibliothek
MÜNCHEN

Jugera, villæ & agri, quos ætas ſuſtulit illi:
Cuncta *Monaſterio*, quæ vi direpta, *Beato*,
Reſtituentur ei: reſolutâ mente Penates
Tu tantum tueare tuos, & ſperne pericˆla;
Namque Aſtræa pios pro Te conſurget in auſus,
Ac tua Lauriparis decorabit cœpta trophæis.
Hic Numen ſiluit. Solatus ab æthere *Præſul*
Conticuit, ſuperis pergit ſed dicere grates,
Hunc rerum docuiſſe modum contentus. At indè
Mox mentem ſubeunt curæ, vigilesque labores
Accendunt animum. Ut cælum præceperat, actum.
Hinc villas redimit, pluresque recuperat agros
Cœnobio ablatos, reſtantia debita ſolvit,
Suſcitat extinctos cenſus, Capitalia plura &
Magna ſatis fundat, verbo: Patrimonia ſacra
Oeconomus veluti felix vigil, atque probatus
Taliter amplificat, Cerere ut granaria, Baccho
Cella referta foret, repleta & dolia vino,
Horrea plena, greges læti, gravis ære crumena.
Eminet aſt inter villas, quas ære redemit,
Crotzenburgenſis, ſat pinguis: pluribus annis
Pro modico cenſu, redituque locata colonis.
Dives villa ſatis, campi nam jugera & agros
Plus quam bis centum numerat, pinguiſſima prata
Plurima complectens: Vitreus quæ Mœnus inundat,
Fluctibus atque ſuis fœcundo gramine ditat.
Nobilis hæc *Villa* eſt, hodiedum *jure* potentûm
Gaudens *Nobilium*: quam priſcâ ætate *Barones*,
Inque Epſtein Comites, alto cum jure tenebant.
Hanc tamen ob varias cauſas hi poſteà pleno
Jure Monaſterio noſtro, clauſtroque dederunt.
Sed locus hic, cum ſit ſituatus in ubere campo,
Gaudeat atque ſolo fœcundo, ſitque decorus
Pulchrâ planitie, Mœnus quam lambit: & agri
Non tantum faciem, ſed & ædes aura ſalubris
Perflet perpetuò, ſit ubique ſerenus & aër:
Tellus exiguè pendens, nec collibus aſpera celſis,
Nec nimis in valles depreſſa, nec humida ſtagnis.
Aurêis hinc multis *Abbas*, *PRÆSULque* modernus
Hanc villam reluit: minitantibus atque ruinam
Ædibus everſis, præſens quæ pagina monſtrat,

A. Domus Dominorum.
B. Villa.
C. Horreum.
D. Horrea decimarum.
E. Stabula.

Horrea magna, domos, pretioſaque prædia (in ære
Quæ deſculpta vides) impenſis grandibus illic
Funditus erexit, ſolido & de marmore ſtruxit;
Adjecitque dein redolentem floribus hortum,
Utque ab eo dextras averteret ille rapaces,
Hunc neque virgultis denſis, neque ſepibus hirtis:
Verùm quadrato juſſit circumdare muro.
At licet huncce *DEUS* tanto cumularet acervo
Æris & argenti, tamen haud nigrantibus unquam
Committebat opes tenebris, ſed largior imbre
Sueverat innumeras inopum ditare catervas:
Quippè velut denſo currentia munera nimbo
Cernere ſemper erat propè eum: velutique benignum
Numen inexhauſtos deſtillat ab æthere rores
Arentis terræ in gremium, pluviaque rigatam
Sole opportuno recreat, nutritque, fovetque,
Innumerisque beat plantis, ac ubere glebâ
Exhilarat genus omne hominum, genus omne animantûm:
Munificâ ſic uſque manu ſua commoda *Præſul*
In ſibi ſubjectos populos, ſubjectaque ſpargit
Oppida, continuoque ſui dat ſigna favoris,
More *DEI* Clementis. Et ut Clementia virtus
Præſulis eſt, & ſola *DEO* nos æquat: ita omnem
FRANCISCI hæc animum pulchri ſuccendit amore.
Sæpè (cano vera) anguſtis in rebus amicam
Hinc ſenſiſtis opem miſeri, ſenſiſtis egeni.
Audivit ſemper vocem clamantis egeni,
Libera & uſque manet miſeris, hoc judice, cauſa:
Pupillisque pio tutore carentibus, æquo
Deditus auxilio tulit hic ſuffragia ſemper.
Ah! quoties triſtes hic non ſolatus amore
Fraterno Viduas, fuerant quæ triſtia paſſæ?
Pauperis à vultu nunquam (miſereſcere durus)
Avertit faciem; nullum ſpes lenta morata eſt,
Si potuit præbere manum, facilisque levare.
Hæret adhuc, qualem lapſis ſe præbuit annis,
Cum carè quivis divenderet Euclio fruges:
Ut *CHRISTUM* hic, Superosque ſibi mage Lucrio obæret,
Dimidio pretio frumenta ſiliginis Iris
Vendidit, ac illis, triſtis quos urget egeſtas,
Plures (ejus enim miſeratio viſcera finxit)
Frumenti modios dedit ille ſiliginis ultrò.

Ni vivum laudare pudor prohiberet, & ejus

Excel-

xcellens indiceret alta ſilentia virtus;
/uſè enarrarem, miſeros affamine molli
Qualiter haud tantùm, ſed re ſoleris & ære:
Utpotè qui ſemper velox ad dona, benigni
Cæli more pluis, Codro das largiter omni.
Nam nudos operis, tegis omnes veſte carentes,
Atque fame preſſos epulis, dapibuſque frequenter
Tu recreare ſoles: ſitibundis pocula præbes.
Ut non ſuccurris miſeris, quêis curta ſupellex?
Dum ſine lucro aliquo, ſine cenſu & fœnore multos
His elargiris nummos; nè forſan avaris
Illicitum Hebræis cogantur ſolvere fœnus.
Quot non decrepitos, vetulos (quêis plurima mento
Canities inculta jacet, macieque fatiſcunt)
Exhilaras epulis, refocillas atque Lyæo.
In *Te* completum veraciter, æva quod ante
Plurima ſacratus vates præſagiit: ille
Nunquam pauper, erit ſed nummis dives & auro,
Cujus larga manus ſtipem donavit egeno.
Nam licet aggeſtis gazophylacia multis
Turgerent nummis, nunquam tamen hûic dominata
Auri ſacra fames, & habendi dira cupido.
Non etenim vel opes, aurumvè nigrantibus ille
Pygmalionæo damnavit more cavernis,
Largiter aſt ſemper, fecundi roris adinſtar,
Sparſit in artifices: veluti teſtatur abundè
Martyris Egregii *LAURENTI* nobile fanum.
Mœnia namque hujus longo cùm temporis uſu
Paulatim ruerent: eſſent quod trita ſenectâ,
Deformique ſitu pridem ſqualentia, vel quod
Turbine corruerant belli: non reddita tantùm
Quo fuerant habitu, & priſco inſtaurata nitori;
Mirifico at ſumptu reparavit taliter, omnis
Advena ut obſtupeat, dicatque: hûic gloria ſummi
Numinis eſt cordi mage, quàm poſſeſſio Nummi.

Cumque bono ſemper communi impendere totum
Hic ſe ſe vellet, famamque extendere factis:
Præter ſtructuras varias (quas monſtrat imago
Hæc) nova magnifico tollens ad ſidera ſumptu
Culmina, & impoſitis cælo vicina Coloſſis,
Tecta, ſuperfulgentem Abbatibus exſtruit ædem:
Dædaleâ quæ facta manu, ſpecioſa ſuperbit:
Ornamentum ingens Patriæ, Clauſtrique venuſtas,

Rarum opus, ingenio, Vatisque & Carmine dignum.
Vestibulum ante ipsum, primoque in limine cernis
Sanctos PATRONOS, Magnâ cum *Virgine Matre*,
Sub Patrocinio cujus fundamina jacta.
Majestas operis rapit omnes, splendor & ædis
Attonitos reddit: pictis externa corollis
Colludit facies, vivoque Emblemata saxo
Praxitelis spirant scalprum, Phydiosque labores.
Dumque domum ingrederis, domicilia plurima cernis
PRÆSULIS; Aula patetque ingens, ubi plurimus auro,
Argentoque micat paries: Laquearia cuncti
Suspiciunt, pulchram symmetriamque stupescunt.
Omnia ad invidiam triclinia splendida fulgent;
Nec quicquam decori (sic Ars & gratia certant)
Subtrahitur: Cameras ordo pulcherrimus ornat,
Respondentque suæ formosa cubilia normæ:
Suntque infinitæ concinnâ lege feneſtræ
Dispositæ: Frons ornatus cælamine miro
Exhibet, & niveo lucent tabularia gypso:
Parjêtibus suspensa micant Babylonica texta,
Et bona temperies cæli est, ac commodus aër;
Quem neque perpetuis Bruma implacata lacessit
Frigoribus, neque sol, quando calidissimus axe est,
Exurit: latus omne etenim vegetabilis aura
Perflat, ab indigenis mala cuncta & noxia pellens.
Sed fors ire polo cupis, ac errare per axes?
Desuper invenies celsam, turrimque superbam:
Ex qua prospectus spatiosa per æquora ruris,
Per silvas & agros, vitrei per flumina Moeni
Tenditur: ut possis oculis quocunque vagari.
Ædes *PRÆLATIS* dignæ: Regalia tecta
Hæc augusta quidem, magis hæc illustria fecit
CÆSARIS at *CAROLI* præsentia*: nuper in illis

Cum

* 17. *Decembris Anno* 1711.

Delineatio Antiquissimæ & Regalis Abbatiæ Seligenstadiensis Ord. S.P. Benedicti in superiori Archidiœcesi Moguntinâ ad Mœnum sitæ.

A. Porta Monasterii.
B. Abbatia nova.
C. Abbatia antiqua.
D. Ambitus in Conventu.
E. Molendinum.
F. Refectorium æstivale.
G. Conventus.
H. Turris primaria Ecclesiæ.
I. Domus Torcularis.
K. Officinæ opificum.
L. Domus pecuaria.
M. Area ejusdem.
N. Stabula & Horrea.
O. Theriotrophium.
P. Hortus DD. Conventualium.
Q. Castrum Aquense.

DELINEATION oder Abriß deß Vhralten und Königlichen Stiffts und Closters Seeligenstatt BENEDICtiner Ordens Im ober Ertz Stifft Mäyntz am Mäyn gelegen.



A. Das Portal am Thor.
B. Die Neue Abteÿ.
C. Die Alte Abteÿ.
D. Der Creütz gang.
E. Die Mühl.
F. Das Sommer-Refectorium.
G. Der Convents bau.
H. Der Kirchen Thurn
I. Das Kälter Haus.
K. Der Handwerkleut-Officin.
L. Das Vich-Haus.
M. Der Vich-Hoff.
N. Stallungen und scheuren.
O. Der Thier oder Mühl Garten.
P. Der Conventes-Garten.
Q. Die Waßerburg.

Johañ Stridbeck fecit.

Abriß der Waßerburg ohnweit Seeligenstadt gelegen vnd von Herren FRANCISCO II
Prælaten der Abteÿ Seeligenstadt auß dem Grund auffgebauet.



1. die Waßerburg. 2. die Fischweÿer. 3. der Springbrunn. 4. daß Waßerhauß. 5. die Schleiffbach.

Joh: Stridbeck, fecit.

Cum Francofurtum proficiscens prandia sumpsit.
Cætera vel jucunda oculis, vel digna relatu,
Vel miranda oculis, cantum perstringere linguis
Nemo, vel Aoniâ prolutus Amystide possit.

§. 10.

Castrum Aquense, vulgo die Wasser-Burg *funditus erexit.*

NON stetit hiccè Viri labor: ast ut in æthere summo
Corpora perpetuo gaudent cælestia motu:
Sic quoque magnanimos animos sudore focillat,
Et reficit, recreatque labor: gravioribus ergo
Instat *FRANCISCUS* curis, molimina rerum
Magnarum versans, quæ cuncta ab origine pandam.
Haud procul à Mœno locus est, & ab *URBE BEATA*
Uno vix distans lapide: acceptissima Nymphis
Est regio: hinc aprica jugis, hinc prona supinis
Vallibus; indè vago campus planissimus agro:
Plurima, quem circum lunatis Quercus inumbrat
Frondibus: ac hêic Hybla favis, hêic pascit Hymettus
Mellilegos de rore greges: ibi roscida primo
Mane vigil (roseis primum cum pusio vagit
Sol tener in cunis) croceis Aurora rosarum
Lustrat aquis, tepidi Zephyrique liquentibus alis
Irrorant riguum pratis sitientibus aurum,
Quo bibulus Pan potet oves: ibi jurgia vocum,
Arboreæque sonant, silvâ altercante, querelæ.
Hic locus, excellens ac non ignobilis olim
Arx fuit (ut nostri Archivi documenta loquuntur)
Attamen ob belli motus, & tempora iniqua,
Cum collapsa foret: disjectaque rudera tantùm
Paucula restarent quædam: quêis vile mapale
Impositum fuerat: *PRÆSUL FRANCISCUS* amœni
Jucundique loci dudum dulcedine captus,
Ex fundamento *Castrum* decrevit ibidem
Ædificare recens, ab *aquis* quod dixit *Aquense;*
Namque paludosus locus est, Lymphisque redundans
Innumeris: rapidus refluente in gurgite vortex

Ichnographia Castri Aquensis haud longè à Seligenstadt dissiti & â D. Francisco II. funditus erecti.

1. Castrum Aquense.
2. Vivaria.
3. Fons saliens.
4. Domus Aquatica.
5. Amnis, vulgo Schleiff-Bach.

Cernitur, huncque secat squamosis piscibus ingens
Amne lacus, vitreoque relucent gurgite pisces.
Artifices igitur plures hinc indè citantur,
Urinatores quoque conducuntur: in undis
Secluſos oculis qui exploratore receſſus
Scrutentur bolide, ac jaciant fundamina prima.
Quod quàm magnificis impensis, atque labore
Herculeo factum, vix est effabile dictu.
Nulla quies, non hîc operæ, neque sumptibus ullis
Parcitur: hinc & non caruit succeſſibus ardor.
Namque lacertosi fodiunt dum stagna coloni,
Poſtque operas multas in apertæ viscera terræ
Molibus immiſſis penetrant, fluviisque negatos
Pertentant aditus, se seque labore fatigant.
Hi nil præter aquas, refluas & Tethyos undas
(Namque per occultos aditus, terræque meatus
Alphei in morem fluitabat viva scatebra,
Undas ac latices magnâ virtute refundens)
Inveniunt: Tandem poſt tædia plura laborum,
Immanes truncos, proceraque fragmina quercûs
Stagnanti injiciunt lacui: at labor omnis inanis.
Donec viscеribus scatebræ, penetralia terræ
Et saxa, & ruptæ prægrandia pondera rupis,
Sectas atque cruces, in quadrum sciſſaque ligna
Stagno demergunt, cratem injiciuntque quadratam,
Ex Alno factam: caret hæc putredine namque
Dum remoratur aquis, etiam poſt plurima sec^la.
Tantæ molis erat fundamina ponere prima!
Poſtquàm sic in aquis fundamina jacta profundis,
Paulatim spatiis circumfinita quadratis
Erigitur moles, & lato dicta tractu
Fabrica quadrati in speciem se turbinis effert:
Ægypti Dominis qualem Pharaonibus olim
Pyramidas gens insanis Mareotica struxit
Sumptibus. Aſt ædem ne fors carioſa vetuſtas
Deſtruat, aut pluvii decumana injuria cæli
Invictâ jactata baſi fundamina turpi
Proruat excidio, vel hiems ea deſtruat acris:
Aut fors tempus edax rerum compage solutâ
Eruat, aut vastis devaſtent hoſtica flammis
Bella, vel evertant immani turbine venti.
Explicat in latum saxis erecta quadratis
Mœnia: quæ verè quasi propugnacula caſtri.

Contrà

Contrà invaſores quosque ut defendere poſſit
Hoc ſe Caſtellum, turres, ſpeculæque rotundæ
Quatuor impoſitæ muris: ne quilibet autem
Pro libitu hoc ſubeat, bino ſub fornicis arcu,
Nobile pontis opus, ſuper undas atque paludes
Ex ſaxo ſtructum: facile quod quemlibet arcet,
Dummodò ſublicius pons attollatur in altum.
Siſte iter hic Clio! nec ſolùm elinguia ſaxa
Commemores: mecum pedetentim aſt, oro, ſubito
Interiora domûs. Suſpenſum in limine mirum
Nunquid agalma vides *FRANCISCI PRÆSULIS*, arte
Mentoris artifici fabrefactum? aſcende deinde,
Quæſo, gradus, accurateque cubilia luſtra,
Cœnac^lumque vide: ſcio, multa tueberis illic
Atria, & eximiis habitacula culta tapetis.
Iconas illuſtres, ſpecioſaque glymmata, ſigna
Fixa tholis ſileo, picturas atque politas
Prætereo: quamvis referet mihi vocibus ora
Delius, & ſacræ finerent Aganippides amnes
Phocidis, atque omnes Helicon diſtillet in undas:
His tamen aggrederer vano conamine cuncta &
Singula Caſtelli noſtri ornamenta referre.
Sed dum, Lector, adhuc dictâ remoraris in æde,
Proſpice per patulas, rogo, circumquaque feneſtras;
Reſpiciensque, oculos hinc inde in quatuor orbis
Circumfer partes: Quæ non ſpectacula rerum,
Senſuum & illecebras, oblectamentaque cernes?
Hic olor albus enim (nam ſunt perplurima circa
Caſtellum hocce novum vivaria piſce referta)
Ac cygnus, liquidis per prata virentia rivis,
Riparumque thoros, niveis argenteus alis
Rimatur roſtro latices, & amœna canoros
Emittit per colla modos, ac remige pennâ
Alternat curſus, reſonant ac æthera cantu.
En! ibi pullaſter pullis comitantibus ut ſe
Non immergit aquis, & ſe mox erigit, atque
Gaudens ingreditur, charosque ad paſcua pullos
Ducit ovans: Et, qui dominari matribus ipſis
Conſuevit, Vir & cuſtos, uxoria pullis
Plumeus officia, & maternas exhibet artes.
Lenè trahens ſeſe liquidum ſuper æquor, olorum
Agmina vidiſti: nunc audi! qualiter illic
Garritet inter aquas anatum numeroſa caterva,

Dulcia

Dulcia certatim det raucaque murmura roſtris:
Incubet ut Nutrix, Anates Gallina puſillos
Paſcat agris, donec turmæ piſcina vagatrix
Obvia nativos fluviorum invitet ad amnes.
Protinus en! alibi petat ut grex plumiger undas,
Amens & paſſis Gallina exterrita pennis
Clamet, & alternas volet irrequieta per oras;
Prodiga quin etiam vitæ ſe prona per undas
Mittat, & audaces revocans ad litora pullos,
Monſtret quâ facili poſſint emergere ripâ.
Hi tamen intereà pergunt colludere lymphis,
Et mergi, & fluidos humeris infundere rores:
Remigioque pedum, & roſtro verſare procaci
Flumina, & exiguis caput objectare periclis.
Jam ſat latipedes volucres, anatumque phalanges
Spectaſti, credo: tibi nunc genus omne natantûm,
(Nî grave) ſquamigerosque greges, udumque popellum
Enarrabo libens, in ſtagnis hiſce vagantem.
Neptuni ex populis, oculis ſe primitus Orpheus
Objicit, ac nitidis graviter ſatis innatat undis:
Illius ut rubeum melius ſic cernere dorſum
Poſſis, aurato namque ille colore ſuperbit.
En! alibi (brevis in latum cui panditur alvus,
Os immane & habet, quo glarea ſemper ab imo
Vertitur) innumerâ ut natitet cum prole minutâ
Carpio prægrandis: cujus gratiſſima lingua
Eſſe ſolet cœnis. Viden! ut non ſolis ob æſtum
Saltitet hic in aquis, & ſecum ſyrmate longo
Ducat piſciculos, genitali ex ſpermate natos.
Verum deſcendit ſubitò, ſe ſeque ſub undis
Unà cum ſobole abſcondit ſat provida mater;
Nam rapido curſu aſcendit de viſcere ſtagni
Pinnigeræ ille latro turbæ, Phalariſque cruentus
Lucius oblongus: cui Natio turba natatrix
Præda fit, inque acidâ turmatim conditur alvo.
Tincas, & lato Cyprinos pectore, prudens
Mitto: nec Alburnus, Thedo, Mulluſque nepotum
Fercula, metra ſubit; curvantes brachia Cancros
Octipedes omitto libens; Apuaſque fugaces
Ac molles Rutilos nolo memorare: ſalubris
Sed mihi Perca placet, primaria gloria menſæ:
Gobio flumineas inter laus ſumma phalanges;
Ac Anguilla placet, lubricæ cognata colubræ;

Fundu-

Fundulus ægroto aſt panacea ſalubrior herbis
Ventriculo, palmas me conſultore, meretur.
Verùm, Trutta ſagax (aliis Aurata vocatur)
Præ reliquis mihi ſola ſapit, ſapietque: quod illa
Det duplices Epulas, oculis priùs, atque palato.
Si reliquas ſpecies, utero quas condit in imo
Lympha, referre velim: vaſti prius Æquoris undas,
Atque Tridentiferi conchata crepundia Patris
Dixero: quam noſtris quæ ſint abſcondita ſtagnis.
Hæ ſunt illecebræ, poteris quêis ſole micante
Uſque frui: tacitæ ſua ſunt quoque gaudia nocti,
Sole ſub occiduo; cum veſper opacat Olympum
Et cum Luna polo candentem argentea frontem
Explicuit, ventique iras poſuêre ſilentes:
Najades ex Mœno, ſuras & brachia nudæ,
Vicinum ad Rivum* (ex ſaltu per prata fluentem, &
Murmure cum magno labentem in flumina Mœni)
Conveniunt hilares, choreas, lætosque cachinnos
Ingeminant: pavidæ ſe ſub vada pura recondunt,
Ac homines fugiunt: veritæ mox, cum patet error,
Exiliunt, Lymphâ mundantes lactea membra.
Nec Faunos, ſatyrosve timent: Nam tecta pudica
Horret turba ſalax. Caſtas agitare choreas
Hinc pergunt Nymphæ, toto ſe corpore mergunt
In latices, & ſic vivaria putrida mundant.
Sed quò devolvor? ſi tentem cuncta referre,
Ibit tota dies, & prono avectus olympo
Cynthius, obſcurâ involvet caligine terras.

§. II.

Hortus contiguus ab eodem de novo conſitus.

EJa age Muſa! novum mecum molire laborem,
Altiùs aſſurgens: ſcio, quod jam ſtagna, lacusque
Sat perluſtrâris: Quæſo, nunc ergò propinquum
Purpureæ Floræ regnum, Charitumque ſedile,
Ac hic contiguum, *FRANCISCO* à *PRÆSULE* nuper
Plantatum noviter, ſimul exſpatiemur in hortum.
Atria frondoſa & Tempe viridantia vix dum
Ingrediens à limine læta vireta ſaluto:
Quæ nova ſe pandunt oculis ſpectacula rerum?
Quid primum, mediumve canam? nam talia vidit

* Die Schleiff-Bach.

Bayerische Staatsbibliothek

Nunquam oculus, poterit nec talia pangere Muſa.
Non memorare volo Pæſti, vel Adonidis hortos,
Atque Semiramidis, vel flores fertilis Hyblæ,
Quorum priſca decus fuit admirata Poëſis.
Ornatus horum cunctos complectitur in ſe
Hortus hic: eſt variis etenim ditiſſimus herbis,
Arboribuſque ferax: eſt verbo, Regia Floræ,
Seria Naturæ certantis & Artis arena,
Aulaque Pomonæ: nam ſingula continet illa.
Non mihi ſi calami centum, ſi Mantua vocem
Præbeat, aut Vatem in carmen Trinacria mittat,
Pingere ſat potero vernæ Miracula Pompæ:
Veris opes etenim viridanti in gramine gemmant,
Cumque nitore nitent, roſeoque rubore rubeſcunt.
Hic honor atque decus veris, Roſa purpurat ardens,
Flava coronatæ jactans incendia frontis,
Atque velut princeps, & vivax pompa colorum
Emicat, & teneros jacit ambitioſa capillos.
Illic, erecto ſe ſe flos caule ſub auras
Surrigit, & ſuaves à vertice fundit odores:
At circum intus agunt ſubtilia fila coruſcis
Lutea malleolis, niveoque immiſta nitore
Purpura collucet, ſparſoque intermicat auro.
En! alibi ut teneræ tulipæ (quibus invidet iris
Grandia inexhauſtis diſtincta coloribus ora)
Omnigenos pictos ſimulent in ceſpite flores.
Hic Amaranthus adeſt, & ſuavis Amaracus illic
Perflat, & intrantûm nares demulcet odore.
Iſthic ignotus, qui Mexica rura tenebat,
Pulchrior in ſeptis vernat Granadillus amœnis;
Credulus, en! alibi fallacis Amaſius undæ
Narciſſus teneras fibras extendit amore.
Hic Cereri gratum, plenumque ſopore papaver
Oſcitat, & Clytie, quæ florem inclinat ad ortum
Vertice deflexo, Phœbum ſolemque ſalutat.
Omitto cytiſum, nardi ſpicantis ariſtas
Non refero: Charites etenim ſocio agmine fundunt
Certatim: illa thymum violis, & molle cyperon:
Hæc caſias, calthasque: alia, at vaccinia nigra,
Et thymbram, & quos nunc tellus fert Dædala flores.
Quin etiam placidis fons illuſtriſſimus undis,
Splendidiorque vitro ſalit hic, molliique ſuſurro
Garrulus, effundit ſtillas & in aëre pendet,

Aſſiduo-

Assiduoque rigat flores. Fontana coronâ
Cincta est marmoreâ: mediis consistit in undis
Neptuni effigies, vitreas quæ gurgitat undas
In sibi subjectam Phialam: deducitur illuc
Par varios tubulos, plumbatos atque siphones
Nimirùm venis subterlabentibus amnis.
Non procul inde domus * consistit Hydraulica magna;
Quæ velut occultâ promuscide flumina libat,
Atque dein latices avidis pulmonibus haurit,
Quos tandem in fontem magno satis impete ructat.
Incipiunt prurire pedes, ignescere mentis
Spiritus, ulteriusque peto volitare per hortum.
Sed dum progredior, teneræ palatia Floræ,
Hospitia Aonidum & topiaria florida cerno:
Quæ diverticulis in compita plana secantur,
Ut sint colloquiis, salibusque, jocisque venustis,
Mollibus ac castis sermonibus apta serendis.
Hæc intrare placet (mihi, quæso, Patultius esto,
Jane bifrons!) patior, nimium nam solis ob æstum,
Mentis deliquium: umbrosas hinc expeto frondes,
Ac virides latebras: me, vos habitacula, vestro
Suscipitote sinu! densis ut consitus umbris,
Aurâ liberiore fruar, ventoque tepenti.
Sed, videsis! frondosa quidem se pergula pandit:
Vix at eam subiens, quot non modulamina vocum
Audio pennigeræ gentis: Philomela suavis,
Ut non intendit linguæ vocalia plectra?
Excipit hanc nemorum Siren, Fringilla, querelas
Mellifluo simulans variæ modulamine vocis:
Compare cum dulci turtur, risuque jocisque
Dulcia carpit ibi rorantibus oscula labris.
Cunctaque gens Avium resonantes ætheris auras
Tam blando mulcet modulatu, ut nulla sororum
Thespiadum possit meliores promere cantus.
Parîete sub viridi, nitidè & peristromate picto
Dum lætus spatior, latus & considero dextrum:
Ohè! quot video plantatas ordine longo
Arboreas frondes, ramorum brachia latè
Pandentes, omnis generis fructusque ferentes.
Curvatis hîc poma rubent pendentia ramis,
Quêis unum nomen, tamen haud color omnibus unus:
Quædam namque nivent, quædam sunt aurea, quædam

* Das Wasser-Hauß.

Liveſcunt, etenim ſic hæc Pomona colorat.
Parte aliâ Ceraſus floret, melimela rubeſcunt
Cum mirabellis alibi: quæ dêinde Puellæ,
Ob mellis ſuccum ſolitæ ſunt carpere furtim,
Atque ſinus, calathosque ſuos implere capaces.
En! ibi quàm tumidos tibi det Pyrus alta volemos,
Ac alibi Cottona, Cydonia pomaque flavent?
Poſtquàm viſa ſatis mihi ſunt Pomaria, verto
Me latus ad dextrum: Quæ non & quanta ferarum
Obvia fert ſe turba mihi? Leporaria * namque
Non ſine lætitiâ, magno mentisque ſtupore
Conſpicio: alipedes Cervos, Damasque fugaces
Hic video cicures, per florida prata vagantes,
Ad me currentes, paſtus, eſcasque patentes.
En! in colliculo reſidens, auritus ut illic
Erigitur, longasque lepus modò ſurrigit aures:
Plurimaque amiſſo fera libertatis amore
Mitis adeſt, placitoque volens ſe carcere claudit.
Hic virides inter corylos, ſalicesque (paludes
Quæ propè plantatæ, ut ſe ſic tueatur ab æſtu)
Pernix ſtat cervus, ſummasque cacuminat aures,
Cornua ramoſa attollens: Ex ſentibus illic
Hinnulus imbellis ſalit, ac formidine plenus
Continuò intenditque aures, ac aëra captat
Naribus: olfaciens, catuli num fortè ſagaces
Hic lateant, ſe ſeque in retia pellere tentent.
Sentibus ex hirtis ac dumis advolat illic
Dama**: caput ſublime ferens, ac fronte ſub altâ
Ingentes volvens oculos: riget auris, & omnes
Excubat in ſtrepitus, cunctasque inquirit in auras:
Et quamvis cervos fulvi plerumque colores
Inficiant, niveo tamen hicce colore niteſcit.
Proſilit ex imo, en! ut cauda breviſſima dorſo,
Cruraque compreſſo ſubſunt exilia ventri,
Pondereque ingenti preſſat collumque, caputque:
Lata ſed imbellis ſuſtentat cornua cervix,
Non tamen hæc homini opponit: quia namque domatus
Et cicur eſt, patitur dextram, & mandata capeſſit.
Sed, quia devexum jam veſper claudit opacum,
Indè domum propero; intereà munimine ſepti
Ludite ſecuri cervi, Damæque niventes
Paſcite naſcentes herbas, impendite curas

Fœti-

* *Theriotrophium* vulgò: Thier-Garten. ** Dannhirſch.

Fœtibus: incluſas Domini tutela fovebit.
Nulla peric^la latent: hilares ſaltate per ampla
Jugera pratorum, denſa ac umbracula ſilvæ
Captate, & puris æſtum depellite Lymphis.
Sed circumpoſitis nolite erumpere ſeptis,
Improba libertas vos non agat: uſque manete
Intrà ſepta: ſemel ſi vos nam linquitis illa;
Væ miſeris! captam dabitis cum ſanguine vitam.

§. Ultimus.

HActenùs immenſo jactata eſt æquore *Navis*,
Currens expanſis per cærula marmora velis;
Nunc tandem furiis ventorum laſſa *carina*,
Ad Littus properat: portum pertingit amatum
Navarchia, & ovans attollit ad æthera vocem,
Atque *Celeûsma* canit. *TIBI*, primò, Maxime Regum,
Qui mare, qui terras, undas ac marmora ponti
Frænas imperio; *TIBI*, dêin, *AMPLISSIME PRÆSUL!*
Hanc *Navarchiam* ſacram pro munere ſupplex
Offero: nam ſervavit eam *TUA GRATIA*, tuta
Hinc in tranquillis hæc nunc requieſcit arenis.
TU TIBI commiſſam *Navem* moderare *Beatæ*
Urbis: eam vigilans veluti *Navarcha* guberna,
Sedulus & regito: nè fortè natantia monſtra
Hanc mergant: illam prudentis ad inſtar Ulyſſis
Sic vehe per fluctus, tempeſtatesque ſonoras,
Sirenum ut ſcopulos, ſuſpectaque littora Circes
Effugiat, plenis velis & flamine leni,
Tramite *TU* recto hanc ad *cæli* dirige *portum*.
De reliquo, *Venerande Pater*, *TIBI* fundat ab aſtris
Cynthius auricomos ſoles: Procede ſecundis
Ominibus: nobis redeat, *TE PRÆSULE*, Pax ac
Alma ſalus: redeat fœcundo Copia cornu.
Perge bonis avibus! *TUA* quò *TE* maſcula Virtus,
Et Themis alta vocat: defendito pectore magno
Jura Monaſterii, *Clauſtrum*que tuêre *Beatum*.
Perge modò! & noſtris ſint omnia proſpera votis,
Atque Tuis meritis faciles dent omnia Divi.
Aſſerite, O Superi! Caput hoc, *Abbate*que ſalvo
FRANCISCO, optatis producite ſtamina fuſis!
Addite ſucceſſus ſucceſſibus, addite prompti
Vim membris, animo robur! rogo, proſpera cuncta
Hûic conferte: imò (precibus ſi flectitur æther)

Deme *DEUS* noſtris, ſincerè dicimus, annis,
Et ſuperadde illos *DILECTI PRÆSULIS* annis;
Ut cum decrepitus fuerit tranſcriptus Olympo,
Hunc omnes ſtupeant, admirenturque Nepotes,
Ac talem titulum ſcribant adamante ſepulchro:

FRANCISCO. ABBATI. MAGNO. MAJORA. MERENTI.
HÆC. SACRA. DEVOTÆ. STATUUNT. MONUMENTA. CAMOENÆ.

INDEX DIPLOMATUM,

Quæ hinc inde ſparſim in hoc opuſculo ſunt allegata & citata.

Littera A.

DONATIO LUDOVICI PII IMPERATORIS, FACTA EGINHARDO.

IN NOMINE DEI & SALVATORIS NOSTRI JESU CHRISTI.

LUDOVICUS divinâ ordinante providentiâ Imperator Auguſtus. Imperatoriæ Celſitudinis moris eſt, fideliter ſibi famulantes donis multiplicibus atque honoribus ingentibus honorare atque ſublimare. Proindè nos morem Parentum noſtrorum, Regum videlicet prædeceſſorum noſtrorum ſequentes, libuit Celſitudini noſtræ, fidelem quendam noſtrum nomine *Einhardum*, de quibusdam rebus proprietatis noſtræ honorare, atque in ſui juris poteſtatem Liberalitatis noſtræ gratiam conferre. Nec immeritò; quippe cum & fidelitatis obſequio, & obedientiæ devotione hoc apud Serenitatem noſtram dignè mereatur adipiſci, qui totis niſibus, uſquequaque noſtro ſervitio, noſtris juſſionibus fideliter parere ſtudet. Indè noverit experientia atque utilitas omnium fidelium noſtrorum, tam præſentium, quàm & futurorum, quia conceſſimus eidem fideli noſtro *Einhardo*, nec non & Conjugi ſuæ Immæ in partibus Germaniæ locum, qui vocatur *Michlinſtat*, in ſilvâ, quæ vocatur *Odonæwvaldt*, in cujus medio eſt Baſilica lignea modica conſtructa, de quâ in omnem partem, quaqua verſus pertinent ad eundem locum inter campum & ſilvam Leugæ duæ, id eſt, Raſta una. Intrà cujus menſuræ circumplexum, manent præſenti tempore ſervi noſtri proprii quatuordecim cum Uxoribus ſuis & Filiis. Præter hos ſunt in eodem loco inter maſculos & fœminas mancipia quadraginta. Hunc locum cum terminis ſuis, ſub integritate, & mancipiis ſuis, nec non & Villam quæ dicitur *Mülinheim*, quæ eſt in pago *Moynecgouue*, ſita ſuper ripam fluminis *Moyni*, quæ quondam Drogonis Comitis poſſeſſio fuit, & habet Baſilicam parvam muro factam, in quâ Villâ ſunt manſi XIX, & ſervi præſenti tempore manentes cum uxoribus & Liberis numero XIII. Sicut & in alterâ Villâ eodem vocabulo ſuprà eundem fluvium, quæ vocatur inferior *Mülinheim*, in quâ ſunt manſi IV, & ſervi manentes totidem, cum uxoribus & parvulis, qui pertinent ad dictam villam. Hanc villam, id eſt, ſuperiorem *Mülinheim*, cum appenditiis ſuis & mancipiis propriis ad eam pertinentibus, & hæc omnia ſupraſcripta, cum Eccleſiis, villaribus, domibus, mancipiis, ſylvis, terris, pratis, paſcuis, equis, aquarumve decurſibus, cultum & incultum, cum omnibus adjacentiis, & appenditiis, totum & ad integrum prædicto Fideli noſtro Einardo, & Conjugi ejus Immæ in proprium per hanc noſtræ Donationis Auctoritatem conceſſimus, ita videlicet, ut quicquid ab hodiernâ die in futurum, de prædictis rebus & locis, ut & de his quæ ad eas pertinent, jure hæreditario facere voluerint, in omnibus potiantur arbitrio faciendi, & nullus ex fidelibus Sanctæ DEI Eccleſiæ, & noſtris, de præſcriptis rebus, memorato Fideli noſtro, & Conjugi ſuæ à nobis conceſſis aliquid abſtrahere, aut minuere tentet, ſed liceat eis ipſas res quiete habere & poſſidere, & cui voluerint jure hæreditario relinquere. Et ut hæc auctori-

auctoritas Largitionis noſtræ per curricula annorum inviolabilem, atque inconvulſam perpetuò obtineat firmitatem, & à fidelibus noſtris, tam præſentibus quàm & futuris, ſeu etiam à ſucceſſoribus noſtris à nobis facta verius, certiuſque credatur, ea manu propriâ ſubterfirmavimus, & Annuli noſtri impreſſione ſignari juſſimus.

Signum Ludovici

Sereniſſ. Imperatoris.

Heliſachar recognovi. Data III. Idus Januarii, anno, Chriſto propitio, primo Imperii Domini Ludovici piiſſimi Imperatoris Auguſti, Indictione VII. Actum Aquisgrani in Palatio Regio. In DEI Nomine feliciter, Amen.

Hoc diploma genuinum ac Authenticum eſſe vide latius apud RR. PP. Collectores Antvverpienſes *Tom. 2. Aprilis in Actis Sanctorum Propylæi Antiquarii de diplomatis diſcernendis, num. 2.* ubi expreſſis verbis dicitur: *Eſſe Authenticum, quodq; Ludovicum Pium Patrem, Avumq; ſecuti ſint poſteri, Lotharius Imperator & Lotharius junior. Signum ſeu Monogramma eſt ipſius Ludovici Pii. Eodem modo* Heliſachar *recognovit diplomata ſignata pro Monaſterii S. Dionyſii, & pro Monaſterio S. Maximini*, & in hoc habentur iſta: Heliſachar *recognovi & notavi. Datum IV. Nonas Junii, Chriſto propitio, anno ſecundo Imperii D. Ludovici Piiſſimi Imperatoris Auguſti Indictione VIII. Actum Aquisgrani in Palatio regio* I. D. N. F. A. i. e. *In Dei nomine feliciter Amen.* Hæc illi.

Litt. B.

QUod & Ludovici Imperatoris uxor, i. e. *Judith Imperatrix*, cingulum ſuum, ex auro & gemmis factum, pendens libras tres, Monaſterio donaverit, ipſe *Eginhardus Lib. 2. de Translatione SS. Marcellini & Petri cap. 7.* ait, hæc ſcribens: *Hæc ubi ad Regias aures relatione Hildoini perlata ſunt, ſtatuit primò ut ad palatium regreſſus, Oratorium noſtrum in quo hæc fiebant, Martyrem venerabundus accederet, ſed nè id fieret, eodem Hildoino ſuggerente prohibitus, ad majorem Baſilicam Reliquias deferri præcepit: ibique delatas, humili ſupplicatione veneratus eſt: celebratisq; Miſſarum ſolenniis, obtulit beatis Martyribus* Marcellino & Petro *quoddam prædiolum, ſitum juxta fluvium Aram* (hic fluvius oritur in Ducatu Juliacenſi, & per Eifiam currens, intrat Diœceſin Colonienſem, ſeque Rheno immergit inter Coloniam & Confluentiam propè Sintzich) *vocabulo Ludovesdorff* (alii legunt cum Surio *Ludovestropf*) *habens manſos quindecim, & vinearum aripennes novem. Obtulit & Regina cingulum ſuum ex auro & gemmis factum, penſans libras tres, &c.*

Litt. C.

Littera Confraternitatis, quam Eccleſiæ Seligenſtadienſi obtulit Eccleſia Moguntina; in qua & Abbas conſtituitur perpetuus Collator Vicariæ in æde Metropolitanâ Moguntinâ conferendæ.

VEnerabilibus viris ac in Chriſto dilectis Domino Abbati Totique Conventui in Selgenſtat Wernherus præpoſitus, Johannes Decanus ac univerſum Capitulum Maguntinum, cum obſequio Fraternam Charitatem. Ut muneris memorandi memoria, Quod nobis de Eccleſiâ in Nuheim liberaliter contuliſtis, nullâ unquam valeat oblivione deleri: Ecce Univerſitati Veſtræ promittimus, ad hoc nos præſentis ſcripti teſtimonio obligantes, quod quamprimum Eccleſiam ipſam vacare contigerit, nos de proventibus ejusdem duas Vicarias perpetuas creaturos, unam in Eccleſiâ noſtrâ, quam vos Pater

Abbas

Abbas veſtrique Succeſſores liberè conferent Perſonæ idoneæ, chori ſervitio congruenti, qui ſacerdos vel Diaconus ad minus exiſtat; Aliam in ipſa Eccleſiâ, ad quam cum illa vacaverit nos perſonam idoneam eligemus, qui noſtro nomine regat ipſam Eccleſiam. Vosque Pater Abbas ac veſtri ſucceſſores ad requiſitionem noſtram per noſtras litteras faciendam, absque omnium difficultate illam tali conferetis, ac loci Archidiacono præſentabitis. Iidem etiam Vicarii ad vos de præbendis ſuis nullum reſpectum habebunt, ſed nos de redditibus præſcriptæ Eccleſiæ honeſte & decenter veſtras dotabimus Vicarias, hoc promittentes firmiter bonâ fide, quod ad ea, quæ hucusque habuiſtis in ipsâ villâ, vel conſequi poteritis in futurum, manus noſtras nullatenus extendemus. Ut autem pro commodo temporali, quod nobis benevolè impendiſtis, charitati Veſtræ munus ſpiritualis gratiæ gratanter accreſcat: Vos univerſos & ſingulos in veræ Fraternitatis & Fraternæ Charitatis conſortium liberaliter & læti ſuſcepimus, ſic, quod quandocunque Fratrum Veſtrorum obitus nobis fuerit indicatus, in compulſationibus, Vigiliis, Miſſarum ſolenniis faciemus per omnia ſicuti noſtris. Cæterùm fideliter vobis promittimus, quod ſi occaſione collationis hujus, vos vel veſtram Eccleſiam contigerit à quocunque impeti vel vexari, nos impetitionem & vexationem talem vobis tollemus noſtris laboribus & expenſis. In cujus facti memoriam præſentem litteram noſtro ſigillo duximus muniendam. Datum V. Kalendas Maji Anno Domini Milleſimo Ducenteſimo Quinquageſimo quinto.

L.S.

Litt. D.

Inſtrumentum primum ſuper litteris Archiepiſcopi Gerardi Moguntinenſis de incorporatione Steinheim.

Gerardus Dei gratia Sanctæ Moguntinæ Sedis Archiepiſcopus, Sacri Imperii per Germaniam Archicancellarius, Dilectis in Chriſto Abbati & Conventui Monaſterii in Seligenſtadt Ordinis Sancti Benedicti noſtræ Diocæſis Salutem in Domino. Licet omnibus Eccleſiis, & Deo famulantibus ſimus ex officii noſtri debito debitores, tamen quia veſtrum Monaſterium Nobis & noſtræ Eccleſiæ præ cæteris ſpecialius eſt ſubjectum; Vos dignè proſequi debemus, & volumus in omnibus, quibus poſſumus, condignis favoribus & gratia ſpeciali; ut Noſter citca vos favor debitus per effectum plenius cognoſcatur. Cum igitur Veſtrum monaſterium propter incendium & rapinas, ac turbationem totius Patriæ generalem, â multis retro temporibus, ad tantam devenerit egeſtatem, quod niſi per Divinam Clementiam, ac Noſtram ſollicitudinem debitam provideatur Eidem, propter ſuorum debitorum onera quæ contraxit neceſſariò ſuffocatur; nec adjiciet ut reſurgat. Nos hujusmodi Veſtris periculis ex ſpeciali gratia & paterna ſollicitudine providere volentes, ut Parochialem Eccleſiam in Seligenſtadt, cujus ad Vos jus patronatus pertinere noſcitur, cum ipſo jure Patronatûs, ac ſuis juribus, & pertinentiis univerſis, quas Paſtor ipſius Eccleſiæ hactenus conſuevit percipere, in augmentum præbendarum veſtrarum licitè & perpetuò retinere poſſitis, Vobis, & per Vos veſtro monaſterio præſentium teſtimonio duximus liberaliter indulgendum. Adhibentes ad hoc conſenſum voluntarium & expreſſum. Ita tamen, quod cum primùm ipſam Eccleſiam vacare contigerit, proventus ipſius omnes, qui ſuper competentem & honeſtam præbendam ſacerdotis idonei, vicarii perpetui reſidentis ibidem ad eam pro conſuetudine præſentandi; poterunt ſupereſſe præbendarum veſtrarum uſibus communibus perpetuò applicetis, Noſtro ſucceſſorumque noſtrorum ac Archidiaconi per omnia jure ſalvo. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam Noſtræ Conceſſionis, conſenſûs & confirmationis infringere, vel ei auſu temerario contrà ire. Siquis autem hoc attemptare præſumpſerit, indignationem Dei Omnipotentis, Beatorum Apoſtolorum ejus Petri & Pauli & Noſtram ſe noverit incurſurum. Datum Miltinberg anno Domini

Milleſimo ducenteſimo quinquageſimo quinto. II. Idus Maji. Pontificatus noſtri anno quarto.

L.S.

Litt. E.

Inſtrumentum ſuper litteris Archiepiſcopi Gerardi II. & Capituli Moguntinenſis de incorporatione Steinheim. Anno 1360.

IN DEI NOMINE, AMEN.

PEr hoc præſens inſtrumentum publicum cunctis ipſum intuentibus pateat manifeſtè, quod ſub anno Domini Milleſimo trecenteſimo ſexageſimo quinto, ſeptima die Menſis Martii hora tertia vel quaſi diei ejusdem, indictione tertia Pontificatûs Sanctiſſimi in Chriſto Patris & Domini Domini Urbani Divina Dei providentia Papæ quinti, anno tertio in Civitate Maguntinenſi ante Eccleſiam Sancti Stephani Maguntinenſis in mei Notarii publici infraſcripti, & teſtium ſubſcriptorum præſentia propter hoc conſtitutus honorabilis & Religioſus Vir Dominus de Erlebach Prior Monaſterii in Seligenſtadt Ordinis S. Benedicti Maguntinenſis Diocæſis nomine & ex parte Domini ſui, D. Abbatis ac totius conventûs dicti ſui monaſterii duas litteras infraſcripti tenoris ſanas & integras omni vitio & ſuſpicione carentes, quarum prima ſigillo quodam Reverendi in Chriſto Patris & Domini D. Gerardi Archiepiſcopi Maguntini, cujus ſigilli de cera alba facti circumferentia eſt talis: Sigillum Gerhardi Dei gratia Sanctæ Maguntin. Sedis Archiepiſcopi Sacri Imperii per Germaniam Archicancellarii; Sculptura verò intrinſeca eſt imago cujusdam Pontificis infulati in habitu pontificali ſedentis in ſolio habentis baculum paſtoralem in manu ſiniſtrâ; Secundæ vero litteræ ſigillo Capituli Eccleſiæ Maguntinenſis in filis ſericis dependentes erant ſigillatæ, cujus quidem ſigilli circumferentia apparuit eſſe talis: Sanctus Martinus Sanctæ Maguntinen. ſedis Patronus. Sculptura verò intrinſeca eſt imago Pontificis infulati, ſimiliter in habitu Pontificali ſedentis in ſolio habentis in manu dextera librum, & in manu ſiniſtra baculum Paſtoralem, mihi Notario infraſcripto præſentavit & ad copiandum tradidit, petens per me redigi in formam publici inſtrumenti, quarum litterarum, & primò primæ hic tenor fuit & eſt talis: *GERHARDUS* Dei gratia ſanctæ Maguntinen. ſedis Archiepiſcopus ſacri Imperii per Germaniam Archicancellarius dilectis in Chriſto Abbati & Conventui Monaſterii in Seligenſtadt Ordinis Sancti Benedicti Maguntinen. diocæſis, Salutem in Domino. In devotionis augmentum confidimus Vobis Deo propitio provenire, ſi ſuper his, in quibus monaſterii Veſtri procuratur utilitas, Nos ſentiatis favorabiles & benignos, ſane quia ad notitiam noſtram pervenit, quod ipſius Monaſterii veſtri redditus adeo ſint tenues & exiles, quod ex ipſis non poſſitis commodè ſuſtentari, Nos ut per ſubventionis noſtræ ſuffragia veſtræ inopiæ aliqualiter conſulatur, devotionis veſtræ precibus favorabiliter inclinati, Eccleſiam parochialem in Steinheim noſtræ diocæſis, cujus jus patronatûs ad vos ſpectat, dinoſcatur, Vobis & per Vos Monaſterio veſtro conferimus, donamus eatenus & unimus, ut poſt mortem, qui nunc tenet eandem Eccleſiam, poſſideatis, & perpetualiter habeatis fructus & proventus ipſius veſtris uſibus applicando, in augmentum, præbendarum veſtrarum Sacerdoti qui pro tempore officiabit eandem, de ipſius proventibus congrua portione relicta, unde honeſtè ſuſtentari valeat, & ſupportare onera, qui incumbent; Noſtro tamen Archidiacono loci & cujuslibet alterius in omnibus jure ſalvo: in cujus donationis & unionis noſtræ teſtimonium præſentes vobis damus litteras, ſigilli noſtri appenſione munitas. Datum & actum Aſchaffenburg in vigilia diviſionis Apoſtolorum anno Domini milleſimo ducenteſimo nonageſimo quarto Pontificatûs noſtri anno quinto. Tenor verò ſecundæ litteræ ſequitur in hunc modum: Otto Dei gratia Decanus totumque Capitu-

Capitulum Eccleſiæ Maguntinenſis dilectis in Chriſto Abbati totiqúe conventui in Seligenſtadt Ordinis Sancti Benedicti ſalutem & ſinceram in Domino charitatem. Pia conſideratione favorabiliter attendentes, qualirer honorabile collegium veſtrum hucusque floruit & viguit in obſervantia regulari, propter quod illud affectamus ex intimo deſiderio in omnibus proſperari: hinc eſt quod donationem, conceſſionem & unionem Parochialis Eccleſiæ in Steinheim, in qua Vos Abbas jus Patronatus hactenus habuiſtis, factas Vobis à Reverendo Patre ac Domino noſtro Gerhardo Dei gratia Archiepiſcopo Maguntino, ratas habemus & gratas, & in ipſas prout ex parte veſtrâ coram Nobis ſuppliciter eſt propoſitum & petitum ſano & maturo conſilio præhabito voluntariè conſentimus, ut juxta donationem, conceſſionem, & unionis prædictarum formam, & continentiam pro veſtris neceſſitatibus relevandis decedente ipſius Eccleſiæ rectore, poſſeſſionem ejusdem ingredi liberè valeatis, bona fide firmiter promittentes, quod contra donationem, conceſſionem & unionem hujusmodi nunquam veniemus per Nos vel interpoſitas perſonas, verbo vel opere, tacitè vel expreſsè. In cujus noſtri conſenſus fidem & ratificationem ſigillum noſtrum præſentibus apponi fecimus in teſtimonium veritatis, actum & datum anno Domini Milleſimo trecenteſimo octavo idus aprilis præſentatæ & ad copiandum traditæ ſunt hæ litteræ anno Domini, Indictione. Pontificatu, menſe, die, hora, & loco ſupradictis, præſentibus honeſtis viris Dominis Walthero de Herſchfeldia olim Canonico Aſchaffenburgenſi, Wernhero dicto Monexhorn Canonico Eccleſiæ Sancti Stephani Maguntinenſ. & Wolfelino Campanatore de Aſchaffenburg Eccleſiæ Maguntinenſis Diocæſis, teſtibus ad præmiſſa vocatis ſpecialiter & rogatis.

L.S.

Et ego Wynemarus Wynemann de Aſchaffenburg Clericus Maguntinæ Diocæſis publicus Imperiali Auctoritate Notarius, qui prædictas has ſigillatas, ut præmittitur, vidi eas de verbo ad verbum, fideliter tranſcripſi, nil addens vel minuens, quod variet ſenſum vel mutet, & poſtmodum ad præſenti tranſcripto diligenter auſcultavi, ipſáque omnia & ſingula â ſupradictis teſtibus, tempore & loco prædictis ſic fieri vidi & audivi. Ideo hoc præſens publicum inſtrumentum inde confeci manu mea propria ſcripſi, & in hanc publicam formam redegi, ſignoque meo ſolito & conſueto ſignavi, rogatus & requiſitus in teſtimonium evidens præmiſſorum.

L.S.

Litt. F.

Confirmatio & approbatio incorporationis Eccleſiæ Parochialis in Altzenau facta monaſterio per Gerlacum Archiepiſcopum Moguntinum.

GERLACUS Dei gratia Sanctæ Maguntinæ Sedis Archiepiſcopus Sacri Imperii per Germaniam Archi-Cancellarius Univerſis Chriſti fidelibus, ad quos præſentes pervenerint, ſalutem in Domino ſempiternam. Noveritis Nos vidiſſe & legiſſe quasdam litteras felicis recordationis Sanctiſſimi in Chriſto Patris ac Domini Noſtri Domini Clementis Papæ Sexti, vera ejus bulla plumbea in filo ſerico bullatas, ſecundum ſtylum Romanæ curiæ non abolitas, non abraſas, non cancellatas, nec in aliqua ſui parte vitiatas, ſed prorſus omni vitio & ſuſpicione carentes, quarum tenor ſequitur in hæc verba. Clemens Epiſcopus, Servus ſervorum Dei, ad futuram rei memoriam. Sedis Apoſtolicæ circumſpecta benignitas circà ea quæ pro ſtatu religioſorum locorum, & neceſſitatibus perſonarum noſtrorum locorum ſub religionis obſervantia altiſſimo famulantium ſunt piè ac rationabiliter ordinata, ut illibata permaneant, libenter Apoſtolici favoris præſidio

confovemus, ſanæ & ſeriæ petitionis dilectorum filiorum Petri Abbatis & conventus monaſterii in Seligenſtadt Ordinis Sancti Benedicti Maguntinenſis Diocæſis Nobis nuper exhibitæ collegimus, quod dudum bonæ memoriæ Matthias Archiepiſcopus Maguntinenſis ex certis & rationabilibus cauſis animum ipſius Archiepiſcopi moventibus ac piâ conſideratione, & matura deliberatione præhabita, Divinæ præcipuè remunerationis intuitu, nec non conſideratione partium dilecti ſibi Thilomanni Abbatis Monaſterii prædicti devoti ſui Eccleſiam Parochialem in Wilmontzheim dictæ Diocæſis ad collationem ſeu præſentationem ipſius ... Abbatis pertinentem, eidem ... Abbati, Abbati & per eum dicto ſuo Monaſterio ac dilectis filiis ... Conventui dicti monaſterii incorporavit Auctoritate litterarum ſuarum favorabiliter & univit. ità tamen, quod quamprimum eandem Eccleſiam de Jure vel de facto vacare contingeret, ex tunc præfatus Abbas ac ſui Succeſſores ... Abbates, qui pro tempore eſſent, & Conventus dicti monaſterii perceptione fructuum, reddituum, jurium & pertinentiarum ejusdem Eccleſiæ quietè gauderent, & haberent in perpetuum, eos ſuis uſibus applicando, & disponendi de eis liberam facultatem. Providens nihilominus præfatus Matthias Archiepiſcopus, quod quandocunque & quotiescunque dictam Eccleſiam vacare contingeret, præſentaretur ad eam perpetuus Vicarius per loci Archidiaconum confirmandus, cui de redditibus ipſius Eccleſiæ in tantum & tam competens & idonea relinqueretur & deputaretur portio ex qua valeret commodè ſuſtentari, & hoſpitalitatem tenere, principalia Archiepiſcopalia, Archidiaconalia & Synodalia jura perſolvere, & ei alia incumbentia onera ſupportare, prout in litteris ejusdem Matthiæ Archiepiſcopi ſuper hoc confectis ipſius ſigillo munitis plenius continetur. Verùm cum ſicut eadem petitio ſubjungebat, prædicta Parochialis Eccleſia ex tunc non vacavit, nec vacet ad præſens, iidemque Abbas & Conventus inevitabilibus, Cottidianis hoſpitalitatibus & ſervitutibus intolerabilibus potentium illarum partium opprimantur, & â duobus annis citrà tam per inundationes aquarum, quàm per guerras Henrici tunc Archiepiſcopi Maguntini, & dilecti filii Nobilis Viri Gerlaci Comitis de Naſſauviâ per ſpoliationes & incendia graviſſimæ dampniſitati in bonis monaſterii ſupradicti. Propterea diverſa debitorum onera ſub uſurarum voragine contrahere ſint coacti, Petrus Abbas & Conventus prædicti Nobis humiliter ſupplicarunt, ut incorporationem & unionem prædictas de dicta Eccleſia Parochiali per præfatum Matthiam Archiepiſcopum, ut præmittitur, factus confirmare Auctoritate Apoſtolica dignaremur. Nos itaque hujus ſupplicationibus inclinati, incorporationem & unionem hujus ſervato tamen moderamine noſtro infraſcripto ratas & gratas habentes illas Auctoritate Apoſtolica ex certa ſcientia confirmamus & præſentis ſcripti patrocinio communimus; Volumus autem, quod ad Diœceſani loci arbitrum de fructibus, redditibus & proventibus dictæ parochialis Eccleſiæ pro perpetuo Vicario inibi inſtituendo, & Domino ſervituro ac curam animarum ipſius Eccleſiæ gerente congrua portio reſervetur, ex qua idem Vicarius valeat commodè ſuſtentari jura Archiepiſcopalia ſolvere & alia ſibi ... onera ſupportare, tenor vero litterarum prædictarum dicti Matthiæ Archiepiſcopi talis eſt: Matthias Dei gratia Sanctæ Moguntinæ ſedis Archiepiſcopus, Sacri Imperii per Germaniam Archicancellarius univerſis & ſingulis tam præſentibus, quàm futuris, ad quos præſentes pervenerint, ſalutem, cum notitia ſubſcriptorum paſtoralis cura regiminis, ad quam nos Dei miſericordia licet immeritos evocavit, ad hoc animum noſtrum excitat & inducit, ut ſubditorum noſtrorum, eorum præcipuè qui Religionis habitu decorati divino mancipati ſunt ſervitio commodis intendere debeamus, quapropter certis & rationabilibus cauſis animum noſtrum moventibus ſtatum monaſterii in Selgenſtadt Ordinis Sancti Benedicti noſtræ Diœceſis ante oculos mentis noſtræ poſito pia conſideratione ac deliberatione matura præambula, divinæ præcipuè remunerationis intuitu nec non conſideratione precum dilecti Nobis Tilemanni Abbatis monaſterii prædicti devoti noſtri Eccleſiam parochialem in Wildemündsheim noſtræ Diœceſis ad collationem ſeu præſentationem ipſius Abbatis pertinentem eidem Abbati & per Eum ſuo monaſterio ac conventui incorporamus, Auctoritate præſentium favorabiliter & unimus. Ita tamen ſane quod quamprimum eandem Eccleſiam de jure vel de facto vacare contigerit, ex tunc præfatus Abbas ſui Succeſſores & Conventus dicti monaſterii perceptione fructuum reddituum, jurium & pertinentiarum ejusdem Eccleſiæ quietè gaudeant, habeantque in perpetuum eos ſuis uſibus appli-

applicandi & disponendi de eis liberam facultatem, proviſo quod quandocunque & quotiescunque dictam Eccleſiam vacare contigerit ad eam Vicarius perpetuus per loci Archidiaconum confirmandus præſentetur, cui de redditibus ipſius Eccleſiæ in tantum & tam competens & idonea portio relinquatur & deputetur, unde commodè ſuſtentari, Hoſpitalitatem tenere, Papalia, Archiepiſcopalia, Archidiaconalia, Synodalia jura perſolvere & alia incumbentia onera valeat ſupportare, noſtro & noſtrorum Succeſſorum in omnibus & per omnia jure ſalvo, in cujus rei teſtimonium & perpetui roboris firmitatem has damus litteras noſtri ſigilli appenſione munitas. Datum Amirbach tertio calendas octobris anno Domini milleſimo tercenteſimo viceſimo ſexto. Nulli ergo omninò hominum liceat hanc paginam noſtræ confirmationis & voluntatis infringere, vel ei auſu temerario contraire. Si quis autem hoc attemptare præſumpſerit indignationem omnipotentis Dei & Beatorum Petri & Pauli Apoſtolorum ejus ſe noverit incurſurum. Datum Avinion. decimo quarto Kalendas Maji Pontificatûs noſtri anno quarto. Item noveritis Nos vidiſſe & legiſſe litteras commiſſionis Domini Henrici de Virneburg olim Archiepiſcopi Maguntini emiſſas & datas vivente, & in humanis exiſtente Domino noſtro Clemente Papa prædicto, & ipſo Henrico in amminiſtratione Archiepiſcopatus noſtri pro tunc exiſtente, & pro Epiſcopo communiter reputato, quarum quidem litterarum tenor eſt talis. In Nomine Domini Amen. Waltherus Cuſtos Eccleſiæ Aſchaffinburgenſis Commiſſarius ad infra ſcripta â Reverendo in Chriſto Patre & Domino Domino Henrico Sanctæ Maguntinenſis ſedis Archiepiſcopo Sacri Imperii per Germaniam Archicancellario ſpecialiter deputatus univerſis Chriſti fidelibus, ad quos præſentes litteræ pervenerint, ſalutem in Domino ſempiternam. Litteras ejusdem Domini noſtri, Domini Henrici Archiepiſcopi Maguntini Nos recepiſſe noveritis in hæc Verba: Henricus Dei gratia Maguntinæ Sedis Archiepiſcopus S. J. per Germaniam Archicanc. dilecto noſtro in Chriſto Cuſtodi Eccleſiæ Aſchaffenburg. ſalutem in Domino. Quia dudum venerabilis Pater & Dominus, Dominus Matthias bonæ memoriæ Archiepiſcopus Maguntinus noſter Prædeceſſor, ob grata & fidelia ſervitia ſibi & Eccleſiæ noſtræ Maguntinæ per Religioſos viros, Abbatem & Conventum monaſterii Selgenſtadienſis noſtræ Diœceſis impenſa, Eccleſiam parochialem Willmündsheim dictæ noſtræ Diœceſis menſæ Abbatis & conventus prædictorum univit & incorporavit, Eandemque unionem & incorporationem Sanctiſſimus in Chriſto Pater ac Dominus, Dominus Clemens Papa Sextus ex certa ſua ſcientiâ confirmavit, ita ut perpetuo Vicario in eadem Eccleſia pro tempore inſtituendo pro ſupradictæ Eccleſiæ oneribus ſupportandis congrua portio aſſignetur. Cum autem ejusdem portionis aſſignationi noſtræ Eccleſiæ negotiis præpediti intendere nequeamus, mandamus tibi & committimus in his ſcriptis, quatenus vocatis evocandis, de facultatibus Eccleſiæ ejusdem diligenter inquiras, ut vice & Auctoritate noſtra perpetuo Vicario in eadem Eccleſia pro tempore inſtituendo congruam portionem de redditibus ejusdem Eccleſiæ aſſignes, de qua hoſpitalitatem tenere, nec non jura Papalia, Archiepiſcopalia, Archidiaconalia, & Synodalia, ac alia onera ſibi incumbentia, valeat ſupportare, ſecundum exigentiam reddituum Eccleſiæ prænotatæ. In quibus tuam conſcientiam oneramus, contradictores & rebelles per cenſuram Eccleſiaſticam auctoritate noſtra prædicta providè compeſcendo. Datum Eltevil. ſecundo Kalendas Martii anno Domini milleſimo tercenteſimo quadrageſimo nono. Nos igitur juxta earundem litterarum formam auctoritate nobis in hac parte commiſſa procedere cupientes, univerſos & ſingulos fructus, redditus & proventus Eccleſiæ parochialis in Willmündsheim penſavimus, moderati ſumus, & vocatis ad hoc evocandis taxavimus per ſingula diligenter. Habitis itaque plenaria moderatione & taxatione fructuum reddituum & proventuum prædictorum, de ipſis fructibus, redditibus & proventibus Vicario perpetuo ſeu Paſtori præfatæ Eccleſiæ in Willmüntzheim pro tempore exiſtenti deputare, & aſſignare decernimus, deputamus & in his ſcriptis aſſignamus congruam portionem, videlicet curiam Eccleſiæ in Villa Willmüntzheim ſitam, cum quibusdam agris pro dote nuncupatis, ad eandem curiam & Eccleſiam ſpectantibus in ejusdem villæ terminis ſitis, item de decima Bladorum ejusdem villæ, decem maldera ſiliginis Selgenſtadienſis menſuræ, item minutam decimam de fæno, lino, rapis & cæteris provenientem; item octo amas vini pro media parte Francei, & pro media parte huniti. Si autem vinum ſimul colligi contigerit, tunc iidem Abbas &

Conventus octo amas vini communis Paſtori ſeu Vicario miniſtrabunt. Item prata pro cenſibus annuis jam locata, item blada & vina Selgeredæ nuncupata, item decimam vini de duobus jugeribus cedentem, quæ hactenus ad Eccleſiam pertinebat. Poterunt tamen Domini Abbas & Conventus, prout, & quando voluerint, eidem Paſtori ſeu Vicario octo amas communis vini de noſtra decima in ipſius Paſtoris vaſa in torculari eorundem Dominorum Abbatis & Conventus annis ſingulis perpetuis futuris temporibus miniſtrare, vinearum vero ſterilitatis tempore, ſi & quotiens iidem Domini Abbas & Conventus decimam vini colligere non curarint, pro tunc Paſtor ſeu Vicarius ejusdem Eccleſiæ pro tempore vini decimam eandem Eccleſiam concernentem ſuis expenſis, ſumptibus & laboribus debebit colligere, & ſuis uſibus in recompenſam octo amarum vini prædicti ſibi per Dominos Abbatem & Conventum prædictos ſolvendi, pro illo ſaltem tempore ſimpliciter applicare. Item oblationes cum funeralibus & legatis, ac aliis obventionibus quibuscunque, quas vicarius dictæ Eccleſiæ hactenus participare conſuevit, volumus tamen, & præſentibus ordinamus, ut dicta curia cum ſuis ædificiis tempore meſſium & vindemiæ præfati Abbas & Conventus, ſi neceſſe habuerint, pro ſuis commodis & utilitatibus, præſertim pro ſuis colligendis & reponendis bladi & vini decimis uti valeat atque frui. De qua quidem portione, ut præmittitur, deputata & congruenter aſſignata, idem perpetuus Vicarius ſive Paſtor pro tempore exiſtens jura Papalia, Archiepiſcopalia, Archidiaconalia, Synodalia, ſive in ſubſidiis ſeu aliis contributionibus quibuscunque conſiſtentia de jure vel de conſuetudine, ſeu de gratia debitis impoſitis ſeu conceſſis, imponendis ſeu concedendis ſolvere, hoſpitalitatem tenere, omnesque contributiones alias ſuis capitulo vel capitularibus ſeu aliis quibuscunque præſtandas, quomodolibet vel præſtanda ſivè parvis ſivè in magnis conſiſtant præſtare, aliaque omnia & ſingula onera eidem Eccleſiæ incumbentia debebit, tenebitur, & aſtringetur perpetuis temporibus ſupportare, ad quæ omnia & ſingula præmiſſa ſupportanda, ut prædictum eundem Paſtorem ſeu Vicarium pro tempore exiſtentem aſtringendum, & onerandum decernimus, aſtringimus, & in his ſcriptis perpetuò oneramus absque Dominorum Abbatis & Conventûs Selgenſtadienſis prædictorum dispendio, gravamine, quomodolibet ſine damno. A quibus quidem juribus, hoſpitalitatis oneribus & contributionibus prædictis eosdem Abbatem & Conventum, & eorum monaſterium immunes reddimus & eximimus per præſentes. Superfluos vero & reſiduos fructus, redditus & proventus omnes & ſingulos Eccleſiæ parochialis in Wilmintzheim prædictæ in decimis, cenſibus, & aliis obventionibus quibuscunque menſæ Dominorum Abbatis & Conventus monaſterii Selgenſtadienſis prædictorum in ſuarum augmentum prædendarum auctoritate prædictâ tenore præſentium applicantes, ſtatutis ſeu conſuetudinibus in contrarium non obſtantibus quibuscunque. Inſuper, ſi quæ dubia ſuperdictorum fructuum, reddituum & proventum aſſignatione & deputatione inter præfatos Dominos Abbatem & Conventum ex una, & eundem Vicarium ſeu Paſtorem & parte alterâ in futurum forſan emergi contigerit, illorum declarationem & interpretationem Domino noſtro Archiepiſcopo Maguntino ejusque Succeſſoribus vel Nobis reſervamus, eosdem nihilominus Dominos Abbatem & Conventum jam dicti monaſterii Selgenſtadienſis, in poſſeſſione ſeu quaſi fructuum, reddituum, & proventuum omnium & ſingulorum prædictorum eadem auctoritate immittendos duximus & immittimus, ipſosque de eisdem præſentibus inveſtimus, mandantes omnibus parochialis Eccleſiæ in Wilmintzheim ſæpedictæ, ac aliis quorum intereſt, ſeu intereſſe poterit in futurum, quatenus præfatis Dominis Abbati & Conventui memorati monaſterii Selgenſtadienſis de ſupra dictis fructibus, redditibus & proventibus univerſis & ſingulis, ac eidem Paſtori ſeu Vicario Eccleſiæ parochialis prædictæ Wilmintzheim, de fructibus, redditibus & proventibus ſibi per nos deputatis, ut præmittitur, debita integritate reſpondeant, & faciant ab aliis reſponderi. In cujus rei teſtimonium Sigillum noſtrum ex recta noſtra ſcientia præſentibus eſt appenſum. Datum anno Domini milleſimo tercenteſimo quinquageſimo ſecundo, ſecundo Kalendas Junii. Viſis igitur litteris prædictis, & perlectis ac eisdem plenè examinatis prælibati Religioſi Abbas & Conventus monaſterii in Seligenſtadt præfati Nobis humiliter ſupplicârunt quatenus unionem & incorporationem factas menſæ & monaſterii eorum in augmentum præbendarum ipſorum juxta continentiam prædictarum litterarum de Eccleſia Parochiali

in

in Wilmintzheim noſtræ Diœceſis confirmare, collaudare, & approbare noſtrâ auctoritate ordinaria dignaremur. Nos itaque hujus ſupplicationibus favorabiliter inclinati prædictas, incorporationem & unionem, ratas & gratas ſecundùm omnem tenorem & continentiam litterarum prædictarum habentes, illas auctoritate ordinaria ex certa noſtra ſcientia, ſupplendo etiam omnem defectum, ſi quis per Prædeceſſores noſtros inveniri poſſet, confirmamus, collaudamus & approbamus, ac præſenti noſtra pagina perpetuo communimus, in cujus rei teſtimonium & in perpetuam rei memoriam omnium præmiſſorum hanc præſentem noſtram litteram prædictis Abbati & Conventui ac eorum monaſterio ſigilli noſtri munimine tradimus communitam. Datum Maguntiæ decimo nono Kalendas Septembris anno Domini milleſimo tercenteſimo, quinquageſimo quarto.

L.S.

Litt. G.

Prima incorporatio Eccleſiarum in Crombach & Stockſtatt *per Bonifacium Papam.*

BONIFACIUS Epiſcopus Servus Servorum Dei ad perpetuam rei memoriam ſacræ Religionis, ſub quâ dilecti Filii Abbas & Conventus in Seligenſtadt Ordinis S. Benedicti Maguntinæ Diœceſis devotum & ſedulum exhibuit Domino famulatum, promeretur honeſtas, ut eorum votis, illis præſertim per quæ utilitas dicti Monaſterii procuratur, quantùm enim Deo poſſumus, favorabiliter adjuvamus. Hinc eſt, quod nos ipſorum Abbas & Conventus in hâc parte ſupplicationibus inclinati in *Crombach* & in *Stockſtatt* dictæ Diœceſis Parochiales Eccleſias, quæ per Sæculares Presbyteros hactenus gubernari conſueverunt, & quarum jus Patronatûs ſeu præſentandi Rectores ad illas cum vacant, ad ipſos Abbatem & Conventum pertinere dignoſcitur, quarumque triginta quatuor cum omnibus Juribus & pertinentiis ſuis præfato monaſterio, cujus trecentarum marcharum argenti puri fructus, reditus, & proventus ſecundùm communem æſtimationem, valorem annuimus, ut aſſeritur, non excedunt, in relevamen onerum Abbati dicti monaſterii pro tempore exiſtenti, ac præfatis Conventui pro tempore incumbentium Auctoritate Apoſtolicâ tenore præſentium perpetuò unimus, annectimus, & incorporamus. Itaque ſimul vel ſucceſſivè cedentibus vel decedentibus Rectoribus earundem Eccleſiarum, vel alias Eccleſias ipſas quomodolibet dimittentibus liceat præfatis Abbati & Conventui corporalem poſſeſſionem Eccleſiarum, juriumque & pertinentiarum prædictorum apprehendere, & perpetuò retinere, nec non utramque ipſarum Eccleſiarum per unum Presbyterum Sæcularem, quem pro eorum nutu amovere & alium ejus loco deputare, poſſint facere gubernari, alicujus licentiâ ſuper hoc minimè requiſita, non obſtantibus, ſi aliquis ſuper proviſionibus ſibi faciendis de hujusmodi vel aliis beneficiis Eccleſiaſticis in illis partibus ſpecialis vel generalis Apoſtolicæ Sedis vel Legatorum ejus litteras impetraverit, etiamſi per eas ad inhibitionem, reſervationem, & decretum, vel alias quomodolibet ſit proceſſum; quas quidem litteras & proceſſus habitos & habendos per easdem & quæcunque indè ſecuta ad præfatas Eccleſias volumus non extendi, ſed nullum per hoc eis quoad aſſecutionem beneficiorum aliorum præjudicium generari, & quibuslibet litteris, privilegiis, indulgentiis Apoſtolicis, generalibus vel ſpecialibus quorumcunque tenore exiſtant, per quæ præſentibus non expreſſa vel totaliter non inſerta, effectus earum impediri valeant quomodolibet vel differri, & de quibus quorumque totis tenoribus de verbo ad verbum habenda ſit in noſtris litteris mentio ſpecialis, Nos enim ex nunc irritum decernimus & inane, ſi ſecus ſuper his â quoquam quâvis auctoritate ſcienter vel ignoranter contigerit attentari. Volumus autem, quod per hoc prædictæ Eccleſiæ debitis non fraudentur obſequiis, & animarum cura in eis nullatenus negligatur. Quandoque idem Abbas & Conventus ratione ipſarum Eccleſiarum Epiſco-

Epiſcopalia jura ſolvere, & alia ſolita eis incumbentia onera ſupportare teneantur. Nulli ergo hominum liceat hanc paginam noſtræ unionis, annexionis, incorporationis, conſtitutionis & voluntatis infringere, vel auſu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præſumpſerit, indignationem omnipotentis Dei & B. B. Petri & Pauli Apoſtolorum ejus ſe noverit incurſurum. Datum Romæ apud S. Cunibertum undecima Kalendas Maji, Pontificatus noſtri anno ſeptimo.

L.S.

Litt. H.

Litteræ Executoriales Apoſtolicarum Bullarum ſuper incorporatione Eccleſiarum in Selgenſtatt & Stockſtatt ac facienda Monaſterio in Selgenſtadt, & quod dictæ Eccleſiæ per aliquos ex Monachis dicti Monaſterii ad nutum D. Abbatis amovibiles poſſint regi, indulgetur.

Univerſis & Singulis præſentes litteras ſive præſens publicum inſtrumentum inſpecturis atque viſuris, lecturis pariter & audituris, illique vel illis, quem ſeu quos infraſcriptum tangit negotium, aut quorum intereſt, aut intererit, ſive tangere & intereſſe poterit, quomodolibet in futurum.

CONRADUS de Gümeringen in decretis licentiatus, nec non regalis Eccleſiæ Sancti Spiritûs, oppidi Heidelbergenſis, Wormatienſis Diœceſis Decanus, Executor ad infraſcripta a Sede Apoſtolica ſpecialiter deputatus, ſalutem in Domino & præſentibus fidem indubiam adhibere, litteras Sanctiſſimi in Chriſto Patris & Domini noſtri Domini Pii Divina providentia Papæ ſecundi, ejus vero bulla plumbea, in cordula canapis more Romanæ curiæ impedente bullatas, ſanas & integras, non vitiatas, non cancellatas, neque abraſas, aut in aliqua ſui parte ſuſpectas, ſed omni prorſus vitio & ſuſpicione, ut primâ facie apparebat, carentes Nobis per honorabilem virum Dominum Joannem Germeradi, Plebanum in Linthem, Maguntinæ Diœceſis Venerabilium & Religioſorum Virorum Dominorum Abbatis & Conventûs Monaſterii in Selgenſtadt Ordinis Sancti Benedicti, ejusdem Maguntinæ Diœceſis, principalium in eisdem infraſcriptis litteris Apoſtolicis Sedis principaliter nominatorum Syndicum ſive Procuratorem, de cujus ſyndicatus ſive procuratione officio aut mandato nobis legitima extitit facta fides præſentatas nos ad ea, qua decuit reverentia, noveritis recepiſſe; Quarum quidem litterarum apoſtolicarum tenor de verbo ad verbum ſequitur, & eſt talis. *PIUS* Epiſcopus, Servus ſervorum Dei, dilecto filio Decano Eccleſiæ Sancti Spiritus Heidelbergenſis, Wormatienſis Diœceſis, ſalutem & Apoſtolicam benedictionem. His, quæ à Romanis Pontificibus Prædeceſſoribus noſtris, præſertim religioſis perſonis providè conceſſa fuêre, cum â nobis petitur libenter apoſtolico munimine roborari, ac viribus ſubſiſtere decerni & ſimilia de novo concedi mandamus. Sanè exhibita Nobis nuper, pro parte dilectorum filiorum Abbatis & Conventus Monaſterii in Selgenſtadt Ordinis S. Benedicti Maguntinæ Diœceſis petitio continebat, quod dudum felicis recordationis Eugenio Papæ quarto Prædeceſſori noſtro expoſito, quod ipſum propè dictum monaſterium unam & in Stockſtadt dictæ Diœceſis aliam Parochiales eccleſias ſitas, ad Collatorum proviſionem, præſentationem, ſeu quamvis aliam diſpoſitionem Abbatis pro parte dicti Monaſterii exiſtentis, ex laudabili hactenusque pacificè obſervata conſuetudine Apoſtolicis reſervationibus ceſſantibus ſpectantes benè & laudabiliter regi, ex eo, quod illarum Rectores rarò vel nunquam apud easdem Eccleſias reſidere conſueverant, nè de cætero Eccleſias hujusmodi ſub mercenariorum & Vicariorum manibus remanere contingeret, per monachos dicti Monaſterii ad nutum Abbatis amovibiles, regi & gubernari, cupiebatur.

Idem

Idem Prædeceſſor Abbatis & Conventus prædictorum ſupplicationibus inclinatus veris exiſtentibus ſupradictis ipſius & eorum Succeſſoribus, ut dictas Parochiales Eccleſias, quamprimum aliquam illarum per ceſſum vel deceſſum illorum perpetuorum Vicariorum ſeu Rectorum, aut illas alias quomodolibet dimittentium, & quoties illas vel aliquam illarum ex tunc in antea vacare contingeret, per aliquos ex Monachis dicti Monaſterii, ordinem ipſum expreſſe profeſſis, ad nutum Abbatis dicti Monaſterii pro tempore exiſtentis amovibiles, aliorum licentia minimè requiſita regi & gubernari facere poſſent, pariter & valerent, perpetuò conceſſit & indulſit: cum autem, ſicut eadem petitio ſubjungebat, præfata Eccleſia in Stockſtadt, tunc certo modo extra Romanam curiam vacante Abbas & Conventus præfati eandem Eccleſiam uni ex Monachis dicti Monaſterii regendam & gubernandam ad nutum Abbatis amovibilem commiſerint, præfata Eccleſia in Selgenſtadt adhuc reſtante. Quare pro parte Abbatis & Conventus prædictorum Nobis fuit humiliter ſupplicatum, quod conceſſioni & indulto hujusmodi pro illorum ſubſiſtentia firmiori robur Apoſtolicæ confirmationis adjicere, litterasque dicti Prædeceſſoris viribus ſubſiſtere debere, decernere, ac ſimilem conceſſionem eis de novo concedere de benignitate apoſtolicâ dignaremur. Nos igitur, de præmiſſis certam notitiam non habentes, diſcretioni tuæ per apoſtolica ſcripta mandamus, quatenus ſi & poſtquam tibi de conceſſione & indulto ac aliis præmiſſis legitimè conſtiterit, illa & quæcunque inde ſecuta auctoritate noſtra approbes & confirmes, ac viribus perpetuò ſubſiſtere debere decernas, ſuppleasque omnes & ſingulos defectus, ſiqui intervenerint in eisdem, & nihilominus ſimilem conceſſionem Abbati & Conventui prædicta eadem auctoritate concedas. Datum Romæ apud Sanctum Petrum anno incarnationis Dominicæ milleſimo quadringenteſimo quinquageſimo quarto, decimo Kalendas Januarii, Pontificatûs noſtri anno primo. *POST QUARUM* quidem litterarum Apoſtolicarum & in eisdem contentorum, ſive narratorum verificationem nonnullis aliis litteris Apoſtolicis felicis recordationis Nicolai Papæ quinti ejusdem, dum ageret in humanis, ſimiliter vera bulla plumbea, in filis ſericeis rubei croceique colorum, more dictæ curiæ impendente, bullatis etiam ſanis, non cancellatis, ſivè abraſis ſivè ſuſpectis, ſed ab omni ſuſpicione, vitio immunibus ſub hac verborum, quæ ſequitur forma. *NICOLAUS* Epiſcopus, Servus ſervorum Dei dilectis filiis, & Conventui Monaſterii in Selgenſtadt Ordinis Benedicti Sancti Maguntinæ Diœceſis ſalutem & Apoſtolicam benedictionem. Rationi congruit & convenit honeſtati, ut ea, quæ de Romani Pontificis conceſſione & gratia præceſſerunt, licet ejus ſuperveniente obitu litteræ Apoſtolicæ confectæ non fuerint ſuper illis, ſuum conſequantur effectum, nuper ſiquidem pro parte ſua felicis recordationis Eugenio Papæ quarto Prædeceſſori noſtro expoſito, quod in unam prope Monaſterium in Selgenſtadt Ordinis S. Benedicti, & aliam in Stockſtadt Maguntinenſis Diœceſis Parochiales Eccleſias ſitas, ac ad collationem, proviſionem, præſentationem, ſeu quamvis aliam dispoſitionem Abbatis pro tempore dicti Monaſterii ex laudabili, hactenusque pacificè & obſervata conſuetudine, Apoſtolicis reſervationibus ceſſantibus ſpectantes bene & laudabiliter regi, ſpectantes ex eo quod illarum Rectores raro vel nunquam apud easdem Eccleſias reſidere conſuevêre. Ne de cætero Eccleſiæ hujusmodi ſub Mercenariorum & vicariorum manibus remanere contingeret, quamprimum illas aut earum aliquam per ceſſum vel deceſſum, aut illas alias quomodolibet dimittentium vacare contingeret, per Monachos dicti Monaſterii ad nutum Abbatis amovibiles regi & gubernari cupiebatis, ac pro parte Veſtra eidem Prædeceſſori ſuper hoc humiliter ſupplicato, ut ſuper præmiſſis Vobis & Succeſſoribus veſtris pro ipſarum Eccleſiarum felice regimine ſalubriter providere de benignitate Apoſtolicâ dignaretur. Idem Prædeceſſor volens Vobis & Succeſſoribus veſtris ſuper hoc optimè providere, veſtris in hac parte ſupplicationibus inclinatus, Vobis & Ejusdem Succeſſoribus videlicet nonas Februarii Pontificatûs ſui anno ſexto decimo, quod veris exiſtentibus ſupradictis, ut ex tunc in antea dictas Parochiales Eccleſias quamprimum illas ſeu aliquam illarum per ceſſum vel deceſſum illorum Vicariorum perpetuorum ſeu Rectorum aut illas alias quomodolibet dimittentium, & quoties illas vel aliquam illarum in antea vacare contingeret, per aliquos ex Monachis Monaſterii præfati ordinem ipſum expreſſe profeſſis ad nutum Abbatis dicti Monaſterii pro tempore exiſtentis amovibiles, alterius licentia ſuper hoc minimè requiſita, regi & gubernari facere poſſitis pariter & valeretis, in

perpetuum conceſſit & indulſit, non obſtantibus conſtitutionibus & ordinationibus Apoſtolicis ac Monaſterii & ordinis prædictorum juramento, confirmatione Apoſtolicâ vel quacunque firmitate aliâ roboratis ſtatutis & conſuetudinibus contrariis quibuscunque. Ne igitur de conceſſione & indulto hujusmodi, pro eo quod ſuper illud præfati Prædeceſſoris Ejus ſuperveniente obitu litteræ Apoſtolicæ confectæ non fuerint, valeat quomodolibet hæſitari, volumus & Auctoritate Apoſtolica decernimus, quod conceſſio & indultum Prædeceſſoris hujusmodi ubique ſufficiant, nec ad id probationis alterius adminiculum requiratur. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam noſtræ voluntatis & conceſſionis infringere, vel ei auſu temerario contraire. Si quis autem attemptare præſumpſerit, indignationem Omnipotentis Dei & Beatorum Petri & Pauli Apoſtolorum ejus ſe noverit incurſurum. Datum Romæ apud Sanctum Petrum anno incarnationis Dominicæ milleſimo quadringenteſimo quadrageſimo ſexto, quarto decimo Kalendas Aprilis, Pontificatûs noſtri anno primo. Coram Nobis per prælibatum Dominum Joannem Germeradt Syndicum ſivè Procuratorem exhibitis oblatis atque præſentatis primo, nec non ſubſequenter pro ulteriori prædictarum primo loco inſertarum litterarum Apoſtolicarum verificatione nonnullis teſtibus fide dignis ad informandum animum noſtrum de & ſuper in eisdem Apoſtolicis litteris narratis & contentis coram Nobis per eundem Dominum Joannem Syndicum ſivè Procuratorem, quo ſupra Procuratoris nomine productis, ipſisque teſtibus per Nos admiſſis, compulſis & in formâ Juris juratis, fuimus per ipſum Dominum Joannem Germeradt Syndicum ſive Procuratorem coram Nobis perſonaliter conſtitutum debitâ cum inſtantiâ requiſiti, quatenus ad ſæpè dictarum primò inſertarum litterarum Apoſtolicarum executionem, juxta earundem uniformem continentiam procedere, indultumque præfatis Dominis Abbati & Conventui principalibus, ut in ſæpe dictis litteris Apoſtolicis latius narratur, exprimitur & continetur, conceſſum, & quæcunque indè ſecuta auctoritate Apoſtolica approbare & confirmare ac viribus perpetuò ſubſiſtere debere, decernere: Omnes quoque & ſingulos defectus, ſiqui forſan intervenerint, in eisdem ſupplere, & nihilominus ſimilem conceſſionem in eisdem litteris Apoſtolicis, ut præfertur, conceſſam & expreſſam Dominis Abbati & Conventui prædictis eadem auctoritate Apoſtolica de novo concedere dignaremur. Et quia, tam ex dictarum ultimò præſentatarum, prædeſcriptarum litterarum Apoſtolicarum continentia & tenore, quam teſtium præmemoratorum coram Nobis, ut præmittitur, productorum, compulſorum, admiſſorum, juratorum & examinatorum dictis & depoſitionibus Nobis de conceſſione & indulto prædictis, ac omnibus aliis & ſingulis, & in ſupraſcriptis litteris Apoſtolicis contentis & narratis, eorumque veritate ritè & legitimè conſtitit; Nos tunc Conradus Licentiatus, Decanus & Executor præfatus, attendentes requiſitionem hujusmodi fore juſtam & conſonam rationi, quodque juſta petenti non eſt conſenſus denegandus, ac volentes Mandatis Apoſtolicis nobis in hâc parte directis reverenter exequi, ut tenemur. Idcircò auctoritate Apoſtolicâ nobis in eadem parte commiſsâ, & qua fungimur conceſſione & indulto de faciendo propè prædictum Monaſterium in Selgenſtadt unam, & in Stockſtadt prælibatæ Moguntinæ Diœceſis aliam Parochiales Eccleſias ſitas in præſcriptis litteris Apoſtolicis expreſſas, per aliquos ex Monachis dicti Monaſterii ordinem ipſum expreſsè profeſſis ad nutum Abbatis ejusdem Monaſterii pro tempore exiſtentis amovibiles regi, & gubernari, & alia Dominis Abbati & Conventui principalibus prælibatis, prout in ipſis præinſertis litteris Apoſtolicis plenius exprimitur conceſſa & quæcunque indè ſecuta, tenore præſentium approbandum & confirmandum ac viribus perpetuo ſubſiſtere debere decernendum, omnesque & ſingulos defectus, ſiqui intervenerint forſitan, in eisdem ſupplendos, & nihilominus ſimilem conceſſionem Dominis Abbati & Conventui principalibus ſæpedictis eadem auctoritate de novo quantum melius potuimus & debuimus, ac poſſumus & debemus, juxta omnimodam Apoſtolicarum prædeſcriptarum continentiam, vim, formam & tenorem concedendum duximus ac approbamus, confirmamus, decernimus, ſupplevimus & conceſſimus prout approbamus, confirmamus, decernimus, ſupplemus & concedimus publicè per præſentes. Quæ omnia & ſingula, nec non dictas litteras Apoſtolicas, & hunc noſtrum Proceſſum, omniaque & ſingula in eis contenta, vobis omnibus & ſingulis, quibus præſentes noſtræ litteræ diriguntur, prædictis & aliis quorum intereſt,

intereſt,

intererit, ſeu intereſſe poterit quomodolibet in futurum, cujuscunque dignitatis, ſtatus, gradûs, conditionis, ordinis vel præeminentiæ fuerint, conjunctim & diviſim intimamus, notificamus, & publicamus, ad veſtram & eorum, nec non cujuslibet veſtram & veſtrorum notitiam deducimus, & deduci volumus præſentium per tenorem, nè de præmiſſis ignorantiam aliquam prætendere valeatis, ſeu valeant, aut etiam alias quomodolibet allegare. *IN QUORUM* omnium & ſingulorum fidem & teſtimonium præmiſſorum præſentes noſtras litteras, ſive præſens publicum inſtrumentum, hujusmodi noſtrum proceſſum in ſe continentes ſeu continens exindè fieri, & per Notarium Publicum ſive ſcribam infrà ſcriptum ſubſcribi & publicari mandavimus, noſtrique ſigilli juſſimus & fecimus appenſione communiri. Datum & actum in Oppido Heidelbergenſi prædicto, in domo habitationis noſtræ, ſub anno a nativitate Domini milleſimo quadringenteſimo quinquageſimo nono, indictione ſeptima, die verò Mercurii, quarta menſis aprilis, Pontificatûs præfati Sanctiſſimi Domini noſtri Domini Pii Papæ ſecundi anno primo, præſentibus ibidem honorabilibus Viris Dominis Jodoco Ruskolbe, Plebano in Waldtdorff dictæ Wormatienſis diœceſis ac majoris Spirenſis Mûvve præſcriptæ Sancti Spiritus Eccleſiarum Vicariis, & Erhardo Roſenzvvick de Nornbergâ Almæ Univerſitatis Heidelbergenſis Notario, teſtibus ad præmiſſa vocatis, ſpecialiter atque rogatis.

ET ego Theodericus Rybiſen de Bruchſellâ Clericus, Spirenſis Diœceſis, Publicus Apoſtolicâ & Imperiali Auctoritatibus Notarius, quia præinſertarum litterarum Apoſtolicarum, præſentationi & receptioni, aliarum litterarum & teſtium productioni & receptioni, juramentorum præſtationi, examinationi & probationi, nec non approbationi, confirmationi, ſuppletioni & conceſſioni, proceſſusque hujusmodi petitioni & decreto omnibusque & ſingulis aliis præmiſſis, dum ſic ut præmittitur, per Venerabilem & egregium Virum Dominum Conradum Licentiatum & Decanum ac Executorem antedictum, & coram eo fierent & agerentur una cum prænominatis teſtibus præſens interfui, eaque omnia & ſingula ſic fiori vidi et audivi. Idcircò præſentem proceſſum ſive præſens publicum inſtrumentum de ejusdem Domini Decani & executoris mandato exinde confeci, ſcripſi, ſubſcripſi, publicavi, & in hanc publicam formam redegi, ſigno & nomine meis ſolitis conſuetis unà cum prælibati Domini Conradi Decani et Executoris ſigilli appenſione ſignando rogatus et requiſitus in fidem et teſtimonium omnium et ſingulorum præmiſſorum.

L.S.

Litt. I.

Proceſſus alius ſuper incorporationem Parochiæ Seligenſtadienſis deductus, & deciſus.

VALRICUS KEMMERLYN, Decanus Eccleſiæ Sanctorum Petri & Alexandri Aſchaffenburg. Mogunt. Diæces. Judex, Commiſſarius & Executor ad infra ſcripta unà cum certis noſtris in hâc parte Collegis, cum illa clauſulâ: *Chriſtus, ubi vel duo aut unus veſtrum* &c. â ſanctâ Sede Apoſtolicâ ſpecialiter deputatus, Reverendis, Venerabilibus & honorabilibus Viris, Dominis Abbatibus, Prioribus, Præpoſitis, Decanis, Archidiaconis, Scholaſticis, Cantoribus, Cuſtodibus, Theſaurariis, Sacriſtis tàm Cathedralium, quàm Collegiatarum Canonicis, Parochialiumque Eccleſiarum Rectoribus, ſeu loca Tenentibus, eorundem Plebanis, Vice-Plebanis, Cappellanis, Curatis, & non Curatis, Vicariis perpetuis Altariſtis cœterisque Presbyteris, Clericis, Notariis & Tabellionibus publicis quibuscunque per Civitatem Diœceſis Moguntinæ, ac

aliis ubilibet conſtitutis, & eorum cuilibet in ſolidum, illiq́ue vel illis ad quem vel ad quos præſentes noſtræ litteræ pervenerint, ſalutem in Domino & præſentibus fidem indubiam adhibere. Litteras binas, unam videlicet felicis recordationis quondam Domini *INNOCENTII* octavi, unionis, annexionis, & incorporationis parochialis Eccleſiæ in Seligenſtadt dictæ Diœceſis Venerabili & Religioſis Dominis Abbati & Conventui Monaſterii ibidem Ordinis Sancti Benedicti & Monaſterio hujusmodi per eundem quondam Dominum Innocentium Papam gratiosè factæ. Ejus vera Plumbea Bulla in filis ſericeis rubei croceiq́ue colorum impendet bullatis. Alteram verò executorium ſanctiſſimi Domini noſtri Domini Leonis Divina providentiâ Papæ decimi in forma Brevis ſub annulo Piſcatoris munitas, ſanas & integras, non vitiatas, non cancellatas, nec in aliqua ſui parte ſuſpectas, ſed omni prorſus vitio & ſuſpicione (ut apparuit) carentes. Nobis pro parte dictorum Venerabilis & Religioſi Dominorum Abbatis & Conventûs Principalium, in eisdem litteris prius nominatorum præſentatas, Nos cum ea, quâ decuit reverentiâ recepiſſe noveritis, hujusmodi tenoris. *INNOCENTIUS EPISCOPUS* ſervus ſervorum Dei, ad perpetuam rei memoriam. Romanus Pontifex, ad quem Divina diſpoſitione ſingulorum Religioſorum & aliorum Chriſti fidelium cura pertinet, vota illa libenter ad exauditionis gratiam admittit, per quæ valeat ſalubriter provideri, quod Religionis jugo aſtrictis omnis vagandi auferatur occaſio, & aliorum Chriſti fidelium animarum cura alias non negligatur, ſed per idoneas perſonas diligenter exerceatur. Dudum ſiquidem felicis recordationis Eugenio Papæ quarto Prædeceſſori noſtro pro parte tunc Abbatis, & dilectorum filiorum conventus monaſterii in Selgenſtadt Ordinis ſancti Benedicti Moguntinæ Diœceſis expoſito, quod ipſi Unam prope dictum monaſterium, & aliam in Stockſtatt dictæ diœceſis parochiales Eccleſias ſitas, ad collationem, proviſionem, præſentationem, ſeu quamvis aliam diſpoſitionem Abbatis pro tempore dicti monaſterii ex laudabili eatenusque pacificè obſervatâ conſuetudine, Apoſtolicis reſervationibus ceſſantibus ſpectantes ex eo, quod illarum Rectores rarò vel nunquam apud easdem Eccleſias reſidere conſueverunt, ne ex tunc de cætero Eccleſiæ hujusmodi ſub mercenariorum & Vicariorum nominibus remanere contingeret, quam primum illas aut illarum aliquam per ceſſum vel deceſſum eorum Rectorum aut alias quomodolibet vacare contingeret, per Monachos dicti monaſterii ad nutum Abbatis amovibiles regi & gubernari cupiebant, Idem Prædeceſſor Abbatis & Conventus prædictorum in ea parte ſupplicationibus inclinatus veris exiſtentibus ſupradictis Abbati & Conventui præfatis, ut ex tunc in antea dictas parochiales Eccleſias quam primùm illas, ſeu aliquam illarùm per ceſſum vel deceſſum illarum perpetuorum Vicariorum ſeu Rectorum aut illas alias quomodolibet & quotiens vacare contingeret, per aliquos ex Monachis Monaſterii præfati Ordinem ipſum expreſſè profeſſis ad nutum Abbatis dicti monaſterii pro tempore exiſtentis amovibiles, alicujus licentiâ ſuper hoc minime requiſitâ, regi & gubernari facere poſſent pariter & valerent in perpetuum Apoſtolica auctoritate conceſſit & indulſit, prout in littetis piæ memoriæ Nicolai Papæ quinti etiam Prædeceſſoris noſtri deſuper confectis, cum idem Eugenius Prædeceſſor, antequam ejus litteræ deſuper conficerentur, rebus ab humanis fuerit exemptus, plenius continetur, cum autem, ſicut exhibita Nobis pro parte dilecti Filii moderni Abbatis dicti monaſterii ac Conventûs prædictorum petitio continebat, ipſi in pacifica poſſeſſione vel quaſi præmiſſorum exiſtant, & Eccleſias ipſas per Monachos dicti monaſterii ad nutum Abbatis præfati monaſterii pro tempore exiſtentis amovibiles, regi & gubernari fecerint, prout faciunt de præſenti, ne Monachis dicti Monaſterii, qui impræſentiarum ſub regulari obſervantia in dicto monaſterio vitam ducunt, vagandi detur occaſio pro parte Abbatis & Conventus prædictorum aſſerentium, quod aliàs pauci monachi, qui ad regendum dictas Eccleſias apti ſint, reperiuntur, nobis fuit humiliter ſupplicatum, ut in præmiſſis opportunè providere dignaremur. Nos igitur, qui ſingulis votis regularis diſciplinæ obſervantiam concernentibus favorem Apoſtolicum libenter impartimur, eosdem Abbatem & conventum ac eorum ſingulos â quibuscunque excommunicationis & interdicti, aliiſq́ue Eccleſiaſticis ſententiis, cenſuris & pœnis, â jure vel ab homine quavis occaſione vel cauſa latis, ſi quibus quomodolibet innodati exiſtunt, ad effectum præſentium duntaxat conſequendum harum ſerie abſolventes,

ventes, & abſolutos fere cenſentes, hujusmodi ſupplicationibus inclinati, Abbati nunc & pro tempore exiſtenti, ac Conventui prædictis, ut Eccleſias hujuſmodi etiam cum alias eis placuerit per Presbyteros ſeculares, aliàs tamen habiles & idoneos, ſimiliter ad nutum dicti Abbatis pro tempore exiſtentis amovibiles regi & gubernari facere, liberè & licitè poſſint & valeant, auctoritate Apoſtolica tenore præſentium de ſpeciali gratia concedimus ac pariter indulgemus: Non obſtantibus præmiſſis ac conſtitutionibus & ordinationibus Apoſtolicis, nec non Monaſterii & Ordinis prædictorum juramento, confirmatione apoſtolica, vel quavis firmitate aliâ roboratis, ſtatutis & conſuetudinibus, cæterisque contrariis quibuscunque. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam noſtræ abſolutionis & conceſſionis infringere, vel ei auſu temerario contraire. Si quis autem hoc attemptare ptæſumpſerit, indignationem Omnipotentis Dei ac Beatorum Petri & Pauli Apoſtolorum ejus ſe noverit incurſurum. Dat. Romæ apud S. Petrum anno Incarnationis Dominicæ Milleſimo quadringenteſimo, nonageſimo, decimo Kalendas Julii Pontificatus noſtri anno ſexto. *VENERABILIS FRATER* & dilecti Filii ſalutem & Apoſtolicam benedictionem. Exponi nobis nuper fecerunt dilecti filii, modernus Abbas & Conventus monaſterii S. S. Marcellini & Petri oppidi Seligenſtadt Moguntinenſis Diœceſis Ord. S. Benedicti, quod licet Parochialis Eccleſia dicti oppidi eidem monaſterio auctoritate Apoſtolicâ perpetuò unita, annexa, et incorporata, ac Abbati pro tempore exiſtenti dicti monaſterii, et præfatis Conventui, ut eidem Eccleſiæ per Presbyterum, vel Presbyteros idoneos dicti monaſterii Religioſos, vel Sæculares ad nutum ipſius Abbatis amovibiles, in divinis deſerviri, et animarum curam dilectorum Filiorum illius Parochianorum exerceri facere poſſent, eâdem auctoritate conceſſum et indultum fuerit: ac Abbas et Conventus præfati in pacificâ poſſeſſione vel quaſi unionis hujusmodi exiſtant, ac eidem Eccleſiæ interdum per religioſos, interdum verò per Presbyteros ſæculares deſerviri faciant. Nihilominus cum in litteris unionis & indulti hujusmodi, aliqui Executores, qui Abbati & Conventui præfatis ſuper illorum obſervationem aſſiſterent, forſan deputati non fuerint, modernus Abbas et Conventus præfati dubitant, ne Judicum præſidio nudati deſuper impediantur, ſeu indebitè moleſtentur tempore procedente. Quare modernus Abbas et Conventus præfati nobis humiliter ſupplicari fecerunt, ut eis ſuper litteris opportunè providere de benignitate Apoſtolica dignaremur. Nos igitur qui ſingulorum præſertim Religioſorum, in quorum proſperitate reficimur, quieti et indemnitati, prout poſſumus, libenter conſulimus hujusmodi ſupplicibus inclinati diſcretioni veſtræ per præſentes committimus, et mandamus, qualiter vos vel duo aut unus veſtrum per vos, vel alium ſeu alios moderno et pro tempore exiſtenti Abbati et Conventui præfatis, in præmiſſis efficacis defenſionis præſidio aſſiſtentes faciatis Auctoritate noſtrâ unionem, conceſſionem et indultum, ac litteras hujusmodi firmiter obſervari, ac eosdem Abbatem et Conventum illis pacificè gaudere: non permittentes eos deſuper per quoscunque quâvis auctoritate fungentes quomodolibet indebitè moleſtari: Contradictores quoslibet et rebelles, cujuscunque dignitatis, ſtatus, gradus, ordinis vel conditionis exiſtentes, per cenſuras Eccleſiaſticas, et alia juris remedia, appellatione poſtpoſitâ, compeſcendo. Et nihilominus legitimis ſuper his ſervatis proceſſibus, cenſuras per vos pro tempore latas contra eos, quos illas vobis incurriſſe conſtiterit, quoties opus fuerit iteratis vicibus aggravare curetis: ac loca, ad quæ eos declinare contigerit, ſeu in quibus ſcienter ſtare permiſſi fuerint, Eccleſiaſtico interdicto ſupponatis, et alia in præmiſſis, et circa ea faciatis, quæ neceſſaria fuerint, ſeu quomodolibet opportuna, invocaro ad hoc, ſi opus fuerit, auxilio brachii ſæcularis. Non obſtante felicis recordationis Bonifacii Papæ octavi Prædeceſſoris noſtri de unâ et de duabus dictis in Concilio generali edita, et quibusvis aliis conſtitutionibus et ordinationibus Apoſtolicis, nec non omnibus illis, quæ in dictis litteris conceſſum fuit non obſtare, cœterisque contrariis quibuscunque. Datum Romæ apud S. Petrum ſub annulo piſcatoris die XXVI. Junii M. D. XV. Pontificatus noſtri anno tertio. *HARUM* ſiquidem præinſertarum litterarum Apoſtolicarum vigore hujus pro parte dictorum Venerabilis et religioſorum Dominorum Abbatis et Conventus principalium inſtanter requiſiti, quatenus ad earundem executionem procedere dignaremur. Nos igitur Udalricus Decanus, Judex Commiſſarius et Executor

præfatus, attendentes requiſitionem hujusmodi fore juſtam et conſonam rationi, idcirco litteras Apoſtolicas ac unionem, annexionem et incorporationem prætactam, atque hinc noſtrum proceſſum, ac omnia et ſingula in eis contenta, vobis omnibus et ſingulis ſupra dictis, quibus præſens noſter proceſſus dirigitur, ac cuilibet veſtrum in ſolidum inſinuamus, intimamus, ac ad veſtram et cujuslibet Veſtrûm notitiam deducimus et deduci volumus præſentes, et præterea Vobis univerſis et Cuilibet veſtrûm, nec non provido Advocato, Sculteto, Scabinis, Juſtitiariis, Majoribus et potioribus, ſuo et communitatis hominum nomine ibidem in Seligeſtadt, totique communitati hujusmodi, ac omnibus et ſingulis utriusque Sexus hominibus cujuscunque dignitatis, ſtatûs, gradus, ordinis vel conditjonis extiterint, ſub excommunicationis majoris pœna, quam in quemlibet contradicentem, trinâ tamen canonica monitione prævia ferimus in his ſcriptis & etiam promulgamus, Inhibeatur prout nos tenore præſentium inhibemus ne Vos aut veſtri, vel veſtrûm aut veſtrorum aliquis dictos Dominos Abbatem & Conventum, quominus dictam parochialem Eccleſiam in Selgenſtadt per aliquem Presbyterum venerabilem, & idoneum Religioſum vel Secularem ad nutnm eorum amovibilem, regere & gubernare, ac regi & gubernari facere, Omnibusque & ſingulis privilegiis, conceſſionibus & indultis ſibi in præinſertis litteris apoſtolicis gratioſè, ut præfertur, conceſſis liberè & licitè uti, frui & gaudere poſſint & valeant, impedire præſumat, præſumant, vel præſumat per vos ipſos per ſe, alium vel alios publicè vel occultè, directè vel indirectè quovis quæſito colore vel ingenio. Alioquin nos contra veſtros ad dictæ pœnæ declarationem ac alias, prout de jure poterimus indubiè procedemus. *IN QUORUM* omnium et ſingulorum fidem et teſtimonium præmiſſorum has noſtras litteras, ſive præſens publicum inſtrumentum hujusmodi noſtrum proceſſum in ſe continentes, ſive continens, exindè fieri et per Notarium publicum infrà ſcriptum ſubſcribi mandavimus, noſtrique ſigilli juſſimus et fecimus appenſione communiri. Datum et actum in domo hoſpitum, ſive aulâ præfati monaſterii Seligenſtadt. ſub anno â Nativitate Domini milleſimo, quingenteſimo, decimo quinto, Indictione Tertia, die verò Veneris, decimâ quartâ menſis Septembris, hora duodecima vel quaſi poſt meridiem, Pontificatus dicti Sanctiſſimi in Chriſto Patris ac Domini noſtri, Domini Leonis Papæ decimi anno tertio, præſentibus ibidem honorabilibus Domino Michaele Kemmerlyn SS. Petri & Alexandri Eccleſiæ Collegiatæ Aſchaffenburgen. Canonico & Petro Schadte Rectore Scholarum in Seligenſtadt, ac Jodoco Kunckel Oppidano Aſchaffenburgenſi, Maguntinæ Diæceſis teſtibus ad præmiſſa vocatis atque rogatis.

Sic ego Hartmannus Hilbrant Presbyter Maguntinæ diœceſis publicus ſacra Imperiali auctoritate Notarius, quia præinſertarum litterarum Apoſtolicarum præſentationi & receptioni, præſentisque proceſſus petitioni & decreto, omnibusque & ſingulis, dum ſic ut præfertur fierent, & agerentur; unà cum prænominatis teſtibus præſens interfui, eaque omnia & ſingula ſic fieri vidi & audivi, idcirco hoc præſens inſtrumentum manu mea fideliter ſcriptum confeci, ſubſcripſi, publicavi & in hanc publicam formam redegi, ſignoque & nomine meis ſolitis & conſuetis ſignavi, una cum præfati Domini Apoſtolici Commiſſarii ſigilli appenſione in fidem & teſtimonium omnium & ſingulorum præmiſſorum rogatus & requiſitus.

L.S.

Litt. K.

Copia *Schutz-Brieffs von Käyſer* Maximiliano *über alles vvas dem Cloſter Selgenſtatt zugehört.*

WIr Maximilian von GOttes Gnaden Römiſcher Konig und zukünfftüger Kayſer, zu allen Zeiten Mehrer des Reichs, in Hungarn, Dalmatien, Croatien &c. Kônig, Ertz-

Ertz-Hertzog zu Oeſterreich, Hertzog zu Burgundt, zu Brabandt, und Pfaltz-Graff &c. bekennen offentlich mit dieſem Brieff, und thun kundt allermänniglich, daſs vvir dem Ehrſamen, Unſerm lieben andächtigen Thomas Abbt des Gottes-Hauſs zu Seeligenſtätt mit ſamt dem berûhrten Gottes-Hauſs, auch allen und jeglichen ſeinen Leuten, Unterthanen, Zugehörigen, und Vervvandten, Hab und Gûtern, ſo ſie jetzo haben, oder kûnfftiglichen ûberkommen, in Unſer, und des Heiligen Reichs ſonder Gnad, Schutz und Schirm, auffgenommen und empfangen haben, nehmen und empfangen, ſie auch deren von Römiſcher Königlicher Macht, hiermit vviſſentlich in Krafft dieſes Brieffs, ſetzen und vvollen, daſs der genandte Abbt und Gottes-Hauſs, mit ſamt ſeinen Leuten, Zugehörigen und Vervvandten, auch allen ſeinen Haab und Gütern, in Unſer, und des Heiligen Reichs ſondere Gnad, Vorſpruch, Schutz und Schirm ſeind, auch alle und jegliche Gnad, Ehr, Würde, Vortheil, Recht und Gerechtigkeit; der ſonder, ſo in Unſerm und des Reichs ſondere Gnad, Vorſpruch, Schutz und Schirm ſeind, des alles haben ſich des zu gebrauchen oder genieſſen, von Recht oder Gevvohnheit, von allermänniglichen ohnverhindert, doch, daſs ſie einem jeden um ſein Spruch und Forderung, an den Enden, da ſich das gebührt, Rechtens ſtatt thun, und ſich des Unſers Brieffs darvvieder nicht gebrauchen.

Und gebieten darauff allen Chur-Fürſten, Fürſten, geiſtlichen und vveltlichen Prælaten, Graffen, Frey-Herrn, Ritters-Knechten, Hauptleuten, Vicedomben, Vögten, Pflegern, Vervveſern, Amt-Leuten, Burgermeiſtern, Richtern, Räthen, Burgern, Gemeinden, und ſonſten allen andern, Unſern, des Reichs Unterthanen und Getreuen, in vvas Würden, Stands oder Weſen die ſeind ernſtlich, und vvollen, daſs ſie den genannten Abbt und Gottes-Hauſs mit ſamt ihren Leuten, Unterthanen, Zugehörigen, und Vervvandten, auch all ihr Hab und Güter, ſolchen Unſer und des Reichs ſonder Gnad, Vorſpruch, Schutz und Schirm gebrauchen, genieſſen und gäntzlich darbey bleiben laſſen, und hervvieder nicht thun, tringen, bekümmern, oder beſchvveren, noch deſs jemand zu thun geſtatten, in dem Weſen, als lieb einem jeglichen ſey Unſerer und des Reichs ſchvvere Ungnad und Straff, und darzu ohne Pön, nehmlich zvvantzig Marck Lödiges Goldes zu vermeiden, das mahnen vvir ernſtlich mit Uhrkund dieſes Brieffs, beſiegelt mit Unſerm Königlichen, anhangenden Inſigel, Geben in Unſerer ſtatt Potzem, am 26. Tag des Monaths Januarii nach Chriſti Geburt funffzehenhundert, und im achten, Unſer Reiche des Romiſchen im 22. und des Hungariſchen im achtzehenden Jahr.

L.S.

Litt. L.

Copia Confirmationis privilegiorum & Libertatis Teloniorum Monaſterii Selgenſtadienſis.

SEBASTIANUS Sanctæ ſedis Moguntinæ Archiepiſcopus univerſis præſentes noſtras litteras viſuris & audituris in perpetuam rei memoriam. Etſi Chriſti fidelibus univerſis Charitatis vinculo ad humanitatis ſolatia noſcamur aſtricti, illis tamen Nobis creditam ab Alto diſpenſationem ad uberiora conſolationis beneficia propenſius fore credimus obnoxiam, qui ſecularibus renuntiantes ſolatiis Chriſto, qui ipſa Charitas eſt, per religioſæ vitæ converſationem ſublimius appropinquant. Hinc eſt quod nonnulli noſtri Prædeceſſores felicis memoriæ Archiepiſcopi Moguntini, Religioſis fratribus, Abbati & Conventui monaſterii SS. Marcellini & Petri Ordinis Divi Benedicti Selgenſtadt. Moguntinæ Dioeceſis, de vinis, bladis, & cæteris rebus dicti monaſterii ad uſum & ſuſtentationem eorundem Fratrum pertinentibus, per loca in quibus telonia & vectigalia Eccleſiæ Moguntinæ conſiſtunt, ſine telonii & vectigalium ſolutione

lutione liberè tranſeundi, tranſactis temporibus non nullas conceſſerunt gratias privilegia & libertates. Nos ab ipſorum Prædeceſſorum noſtrorum nolentes diſcedere veſtigiis in hâc parte, imò dictis Religioſis gratioſius circa iſta proſpicere cupientes, omnes & ſingulas gratias, libertates & privilegia dictis monaſterio & fratribus per noſtros Prædeceſſores ſuper præmiſſis, ut præfertur, per quascunque eorum litteras conceſſas & conceſſa ratificamus, approbamus, & ex certa noſtra ſcientia confirmamus, concedentes ipſis expreſsè, ut ſingula omnia vina propria creſcentia, blada, frumenta dictorum Abbatis & Conventus, nec non alias res & bona, quæ pro eorum & ſuorum commodiori & neceſſariâ ſuſtentatione per Miltenberg, Aſchaffenburg, Selgenſtadt & Höchſt ad Mœnum, aliaque loca & telonia noſtra ad Rhenum in Gernsheimb Moguntina, Ehrenfels, & Lohnſtein duxerint, ſine omni requiſitione ac receptione, ſolutionis cujuscunque telonii ſivè vectigalis, ſine omni etiam impedimento & difficultate poſſint & debeant abſolutè & liberi futuris perpetuò temporibus pertranſire dolo et fraude penitus ſemotis: mandantes ſerio dictorum teloniorum ſcribis et miniſtris noſtris ſub debito obedientiæ, ut impoſterum ſine omni difficultate aut exactione, prædicta vina blada, frumenta, nec non alias res et bona ad præfatum monaſterium ſpectantes, et ſpectantia abſolutè et libere pertranſire permittunt, in eo mandato noſtro ſeriò ſatisfacturi. Datæ apud arcem S. Martini in Metropoli noſtra Maguntina ſub ſecreto noſtro præſentibus appenſo, die decima ſexta menſis Auguſti anno Domini M D XLVIII.

L.S.

Litt. M.

Chur-Fürſtlicher Befehl Anſelm Caſimir, &c. &c. den Zehenden zu Seligenſtatt betreffend, gegen den Rath und Gemeinde daſelbſten, an Herrn Vicedom *zu Aſchaffenburg* ad inſinuandum, &c.

Unſern Gruſs Zuvor, Wohlgebohrne Liebe Getreue.

VNs hat der Würdige, und Geiſtliche N. N. Abbt Unſers *Sanct Benedicti* Closters zu Selgenſtadt Unterthänigſt klagend zu erkennen geben, Was geſtalt Fauth, Rath, und Gemeinde zu berührtem Selgenſtadt, Ihme und dem Cloſter ſeine Zeithero den ſchuldigen Frucht-Zehenden nicht auff der Maas vvie ſichs geziehmet, ſondern an ſtatt des Zehenden erſt den Elfften Sichling oder Garben zu entrichten ſich angemaſſet, mit angehäffter unterthänigſter Bitt, Wir der Sachen nicht allein ein Rechtlichen ausſchlag geben, ſondern auch Unſern beklagten Fauth, Rath und Gemeind, zu einem billigen Abtrag des jenigen, ſo dem Cloſter Selgenſtadt durch dieſe Neurung, um etliche Jahr hero bey der Verzehendung, vviederrechtlich entzogen vvorden, vvieder anhalten laſſen vvollen. Wann vvir nun gnädigſt befunden, daſs dieſe Sach nicht allein von Unſerm zu Aſchaffenhurg gevveſenen Vicedomb dem von Hoheneck den 8. Julii Anno 1638. ſondern von Unſers beklagten Stadt-Raths Verfahren ſelbſten im Jahr 1480. allbereits dahin decidirt vvorden, daſs bey der decimation jederzeit die Zehende Garben mehr gedachtem Unſerm Cloſter Selgenſtadt entrichtet vverden ſolle, und dann ſolche Deciſion allerdings dem Rechten gemâs iſt, als laſſen Wir es dabey, mit dem befehlenden Anhang einmahl vor all gnâdigſt bevvvenden, daſs du inskünfftig darob halten, dem Beklagten Rath und Gemeinde zu Unſerm Selgenſtadt dieſen Unſern Gnâdigſten Befehl fürderlichſt und noch vor angehenckter Erndte notificireſt, und dieſelbe bey der Verzehendung dahin anvveiſeſt, damit jederzeit die zehende Garben ohne Betrug und Abgang entrichtet vverden môchte, die Ubertretter aber von jeder Garben, ſo ſie mehr beſagtem Unſerm Cloſter dieſen mit Zigen vorenthalten und entziehen vverden, mit 5. fl. Straffanſehen vvolleſt, du vvirſt demſelben gehorſamlich nachzukommen vviſſen, und haſt Uns damit zu Gnaden vvohl bevvogen, Datum zu Sanct Martinsburg den 27. Junii 1642.

L.S.

Litt. N.

Litt. N.

Copia *des von der Regierung ergangenen Spruchs vvegen Anfangs und End des Palmarum-Zolls.*

Churfürstl. Mayntz. Hoff-Raths *Præsident*, Gross-Hoff-Meister, Cantzler, Cantzley-*Director*, Geheime Hoffs- und Regierungs-Räth, &c.

Unsern Gruss, auch freundliche Dienst zuvor, Ehrvvürdiger besonders lieber Herr und guter Freund.

VIr mögen dem Herrn nicht verhalten, dass Wir bey hiesiger Churfürstl. Cammer vvegen des *Palmarum*-Zolls zu Selgenstatt nachsehen lassen, und vernommen, dass selbiger *Anno* 1673. 74. 76. und sonsten am Mitvvoch vor Palmtag schon erhoben vvorden, so lassen vvir es dabey allerdings bevvenden, dass selbiger an besagtem Mittvvochen, und zvvar vvie der Churfürstl. Keller zu Steinheim berichtet, dass des Herrn Anzeig nach, solcher des Mittvvoch vormittags um 9. Uhr seinen Anfang nehme, und am Palmen-Sonntag um 9. Uhr *cessiren* thue; dass solcher auff jetztbestimbte Zeit seinen Anfang und End nehme. Ob nun solchem nach zvvar der Johann Henrich de Battis von Bischoffsheim strafffällig vväre: Weilen jedoch der Zöllner zu Aschaffenburg ihn irr gemacht hat, so könte solches endlich zu seiner *Exculpation* vvohl dienen, dass er eben nicht strafffällig vväre, vvohl aber müste er den Zoll entrichten, vvorauff ihm der Wein vvohl abgefolgt könte vverden; Wir haben inzvvischen denen Bedienten zu Aschaffenburg anbefohlen, dass sie dem Zöllner einen Vervveiss geben, und dabey bedeuten sollen, die Leuth ins künfftig nicht irr zu machen; sondern die vorbeyfahrende zu erinnern, dass auff obbestimbte Zeit zu Selgenstatt verzollt vverden müsse, desgleichen auch an den Keller zu Steinheimb abgangen, vvie die copeyliche Anlagen mit mehrerem besagen, vvormit vvir dem Herrn zu angenehmen Diensten und allem guten vvohl beygethan.

L.S.

Litt. O.

Copia *des abgegangenen Befelchs an die Beambte zu Aschaffenburg.*

VIr mögen euch nicht verhalten, vvas massen Wir berichtet vvorden, als ob solte der Zöllner zu Aschaffenburg dem Johann Henrich de Battis von Bischoffsheim gesagt haben, dass der *Palmarum*-Zoll zu Selgenstatt am Donnerstag zuvor erst seinen Anfang nehmen thue, &c. Nachdemmahlen aber zu folg vieler hier bey der Churfürstl. Cammer befindlicher Kellerey Bachgau Rechnungen sothaner Zoll am Mittvvoch vorm Palmtag seinen anfang nimbt; Als hättet ihr besagten Zöllner zu Red zu stellen, und ihme befindenden Dingen nach einen Vervveiss zu geben; auch dabey zu bedeuten, dass er ins künfftig gegen seine Pflichte, und dieses hohen Ertzstiffts *Interesse* dissfals vveiter niemands irr machen; sondern denen vorbeyfahrenden bedeuten solle, dass der *Palmarum*-Zoll zu Selgenstatt am Mittvvoch vormittags umb 9. Uhr seinen Anfang, am Palm-Sonntag vormittags umb 9. Uhr sein End nehme. Und Wir &c. Mayntz, den ersten *Octobris* 1707.

L.S.

Litt. P.

Copia *des ergangenen Befelchs an die Kellerey Steinheim.*

AB Eurem unterm 19. des nächſt vervviehnen Monaths *Septembris* Uns erſtatterem Bericht haben vvir mit mehrerm vernommen, vvas es mit dem *Palmarum*-Zoll zu Selgenſtatt für eine Bevvantnuſs habe, nachdemmahlen Wir nun auch bey hieſiger Churfürſtl. Cammer nachſuchen laſſen, und vernommen, daſs auſsvveiſs vieler Kellerey Bachgavv Rechnung gedachter Zoll ſchon am Mittvvoch vorm Palm-Sonntag ſeinen Anfang genommen, vvir es dergeſtalt dabey ervvenden laſſen, daſs ſolcher am gedachten Mittvvochen noch vormittag umb 9. Uhr ſeinen Anfang nehme, und am Palmen-Sonntag umb 9. Uhr vormittags ſich endige, ſo ihr dem Zöllner zu Steinheim auch zu bedeuten hättet; damit er auff die Bezahlung fleiſsige Achtung mitgeben thue. Und Wir &c. Mayntz den ſiebenden *Octobris* 1707.

L.S.

Litt. Q.

Confirmatio omnium Privilegiorum ab Alexandro IV. obtenta à Starkardo II. Abbate Seligenſtadienſi.

ALEXANDER Epiſcopus, Servus ſervorum Dei, dilectis Filiis, Abbati & Conventui Seligenſtadienſis Ord. S. Benedicti Maguntin. Diœceſis ſalutem & Apoſtolicam Benedictionem. Juſtis petentium deſideriis dignum eſt nos facilem præbere conſenſum, & vota, quæ à rationis tramite non diſcordant, effectu proſequente complere. Ea propter, Dilecti in Domino Filii, veſtris juſtis poſtulationibus grato concurrentes aſſenſu, omnes libertates & immunitates ſive Privilegia, ſeu alias indulgentias à Prædeceſſoribus noſtris Romanis Pontificibus, ab Imperatoribus, à Regibus & Principibus, vel aliis Chriſti fidelibus rationabiliter vobis conceſſas, nec non bonas conſuetudines, & omnia jura, quæhucusque obſervaſtis, Authoritate Apoſtolicâ confirmamus, & præſentis ſcripti patrocinio communimus. Nulli ergò omninò hominum, hanc paginam noſtræ Confirmationis liceat infringere, vel ei auſu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præſumpſerit, indignationem omnipotentis Dei & beatorum Petri & Pauli Apoſtolorum ſe noverit incurſurum. Datum Anagniæ X. Kalendas Julii, Pontificatus noſtri anno ſexto.

L.S.

Litt. R.

Diploma, quo Cives Seligenſtadiani ex Decreto Burggravii Murum, auſu nefario dejectum, reædificare ſunt compulſi.

NOS RUPPERTUS Burggravius de Vrideberch, omnibus in perpetuum. Sciant univerſi tàm præſentes, quàm futuri, quod nos litem quæ vertebatur inter Venerabilem Arnoldum Abbatem & Conventum de Seligenſtatt ex unâ parte, & Cives ejusdem loci ex alterâ, ſuper confractione Muri illius, quem iidem Cives in munitate

Eccleſiæ dictorum Abbatis & Conventus confregerunt, ex Mandato Domini noſtri *CONRADI* Incliti Romanorum in Regem Electi, qui nobis hac in parte commiſerat ſuas vices convenienter ſopivimus in hunc modum. Memorati Cives in eodem loco, in quo murus ille, quem fregerunt, ſtabat, de lignis & Arboribus, quæ vulgo Blanken vocantur, parietem unum ædificabunt, quem ponent ſuper trabes: & erit illius parietis pedum duodecim altitudo. Sic quoque coadunabitur ille paries, quod nec porcis, nec anſeribus, aut aliis pecoribus tranſitus aliquo modo patefiat. Ædificabunt autem illum parietem ita, quod usque ad Nativitatem Domini futuram proximè ſit perfectus. Ordinavimus etiam, ſic inter partes, quod dicti Cives infrà ſpatium octo annorum ſubſequentium, abjecto illo parieto, murum in illo loco ædificabunt, in quo murum priorem deſtruxerunt, qui continebit ſpiſſitudinem duorum pedum & dimidii pedis: Altitudinem quoque capiet bis ſex pedum, ita tamen, quod infra tempus ædificationis muri illius prælibati Abbas & Conventus in vineis, & oris ſuis nullum diſpendium patiantur: Adjectâ videlicet hac conditione, quod ſi ſæpefati Cives, ut præmiſimus, infrà octo annos murum non produxerint ad plenum, ſemper Domino Imperatori ſereniſſimo XXX. marcas, & totidem marcas Abbati & Conventui perſolvere tenebuntur. Præterea iidem Cives ſponaneè ſe ſuppoſuerunt Excommunicationi Venerabilis Domini S. Archiepiſcopi Moguntini, ſi tam parietem, quàm murum non compleverint uſque ad terminos prænotatos, Tamdiu in eadem excommunicatione perſiſtentes, quouſque ad effectum produxerint, veluti facere promiſerunt. Nè igitur in poſterum Altercatio aut dubietas aliqua de præmiſsâ Ordinatione noſtra valeat ſuboriri inter præſentes, Litteram præſentem juſſimus eis conſcribi, & ſigilli noſtri munimine roborari. Actum apud Vrideberg Anno Domini M CC XLVII. Kal. Decembris.

L.S.

Litt. S.

Confirmatio generalis omnium & ſingulorum privilegiorum obtenta à Synodo Baſileenſi A. 1436. ſub Joanne Abbate.

SACROSANCTA Generalis Synodus Baſileæ in Spiritu Sancto legitimè congregata, Univerſalem Eccleſiam repræſentans, Dilectis Eccleſiæ Filiis, Abbati & Conventui Sanctorum Petri & Marcellini in Selgenſtatt Ordinis Sancti Benedicti Magunt. Diœceſis ſalutem & omnipotentis Dei benignitatem. Cum à nobis petitur, quod juſtum eſt & honeſtum, tam vigor æquitatis quàm ordo exigit rationis, ut id per ſolicitudinem noſtram ad debitum perducatur effectum. Ea propter Dilecti Eccleſiæ Filii, veſtris juſtis poſtulationibus grato concurrentes aſſenſu, omnes libertates & Immunitates à Romanis Pontificibus ſivè per Privilegia ſeu alias indulgentias Vobis & Monaſterio Veſtro conceſſas, nec non libertates & exemptiones ſecularium exactionum à Regibus & Principibus ac aliis Chriſti fidelibus rationabiliter vobis & Monaſterio prædicto indultas, ſicut ea juſtè & pacificè obtinetis, Vobis & per Vos eidem Monaſterio auctoritate univerſalis Eccleſiæ confirmamus & præſentis ſcripti patrocinio communimus. Nulli ergò omnino hominum liceat hanc paginam noſtræ Confirmationis & Communitionis infringere, vel ei auſu temerario contraire. Si quis autem hoc attemptare præſumpſerit, indignationem Dei & Univerſalis Eccleſiæ ſe noverit incurſurum. Datum Baſileæ Kal. Novemb. Anno à Nativitate Domini Milleſimo Quadringenteſimo Triceſimo Sexto.

L.S.

Litt. T.

Litteræ, quòd Abbas Seligenſtadienſis habeat collationem Vicariæ B. M. V. ad Gradus in Civitate Moguntinâ.

BERTHOLDUS Dei gratiâ Sanctæ Moguntinæ Sedis Archiepiſcopus, S. R. I. per Germaniam Archicancellarius & Princeps Elector, ad perpetuam rei memoriam. Circumſpecta Sanctæ Moguntinæ Sedis benignitas deſideria juſta petentium congruo favore proſequatur, & votis eorum, qui à rationis tramite non diſcordant, libenter ſe propitiam exhibet & benigna oblata pro parte Venerabilis Religioſorum & honorabilium nobis in Chriſto dilectorum Abbatis & Conventus Monaſterii Seligenſtadienſis, Ordinis S. Benedicti, noſtræ Diœceſ. & Capituli Eccleſiæ B. M. ad gradus Civitatis noſtræ Moguntinæ petitio continebat, quòd Abbas & Conventus præfati Capellani Sanctæ Catharinæ oppidi noſtri Diepurg, dictæ Diœceſis, & Decanus & Capitulum Vicariam Annuntiationis glorioſæ Virginis Mariæ ſummi Altaris in Eccleſiâ B. M. ad gradus conferre, & de illis reſpectivè quotiens & ordinariè vacare contigerit pleno jure disponere habeat, & eadem petitio ſubjungebat, ſi collationes & hujusmodi beneficiorum diſpoſitiones invicem perpetuò commutarentur, ac Abbas & Conventus de pleno jure Capellam hujusmodi conferrent ad plenam Vicariæ præfatæ collationem, Decanus verò & Capitulum è contrà transferentur, id profecto in Monaſterii & Eccleſiæ præfatorum evidentem cederet utilitatem, fuit nobis ſupplicatum, ut eorum votis opportunè de benignitate ordinariâ conſulere dignaremur. Nos igitur, qui de præmiſſis plenè informati ſumus, eaque vera experimus, cupientes Abbatis & Conventus ac Decani & Capituli præfatorum ſtatui & evidenti utilitati paternè conſulere, ſupplicationibus hujusmodi inclinati, commutationem hujusmodi tanquam juſtè admiſimus, & Abbatem & Conventum præfatos de collatione, omnimodaque Capellæ S. Catharinæ diſpoſitione, ſed Vicariæ hujusmodi plenam Collationem; Decanum verò & Capitulum è contrà transferimus & Autoritate noſtrâ ordinaria transponimus, ſtatuimus & ordinamus, quod de cætero futuris temporibus dictæ Vicariæ Vacatione occurrente Abbas & Conventus, & quoties Capellam Sanctæ Catharinæ vacare contigerit, Decanus & Capitulum præfati eas liberè & licitè conferre, & de illis plenè tanquam veri Collatores reſpectivè ob noſtram commutationem disponere poſſint & valeant, & nihilominus dilecto nobis in Chriſto Decano Eccleſiæ S. Petri extrà muros Civitatis noſtræ prædictæ harum ſerie mandamus, quatenus vel ipſe per ſe, vel alium, ſeu alios commutationem ſeu transpoſitionem hujusmodi, vel quoties, & quando expediens fuerit, publicet, ſeu publicare faciat, eaque per quoscunque ſub Eccleſiaſticis cenſuris, appellatione poſtpoſitâ, obſervari curet & mandet. Datæ in Caſtro Steinheim noſtro ſub Sigillo die Menſis Septembris decimâ tertiâ Anno Domini Milleſimo Quadringenteſimo Octuageſimo quinto.

L. S.

Mandato Reverendiſſimi Domini Moguntini

LOTHARIUS STORCH. *mppr.*

Litt. V.

Litteræ Leonis Papæ X. quibus mandatur Archiepiſcopo Mogunt. & aliis, ut Abbatem & Conventum Seligenſtadienſem manuteneant in pacificâ poſſeſſione Parochiæ Seligenſtadienſis contrà quoscunque contradictores.

LEO PAPA X.

VEnerabilis Frater & dilecti Filii ſalutem & Apoſtolicam benedictionem. Exponi nobis nuper fecerunt dilecti Filii, modernus Abbas & Conventus Monaſterii Sancto-

Sanctorum Marcellini & Petri oppidi Selgenſtatt, Moguntinenſis Diœceſis Ordinis Sancti Benedicti, quod licet Parochialis Eccleſia dicti oppidi eidem Monaſterio auctoritate Apoſtolicâ perpetuo unita, annexa & incorporata: ac Abbati pro tempore exiſtenti dicti Monaſterii & præfatis Conventui, ut eidem Eccleſiæ per Presbyterum ſeu Presbyteros idoneos dicti Monaſterii Religioſos, vel ſæculares ad nutum ipſius Abbatis amovibiles, in divinis deſerviri & animarum curam dilectorum filiorum illius parochianorum exerceri facere poſſent, eadem auctoritate conceſſum & indultum fuerit: ac Abbas & Conventus præfati in pacifica poſſeſſione vel quaſi unionis hujusmodi exiſtant, ac eidem Eccleſiæ interdum per Religioſos, interdum verò per Presbyteros Sæculares deſerviri faciant. Nihilominus cum in litteris unionis & indulti hujusmodi, aliqui executores, qui Abbati & Conventui præfatis ſuper illorum obſervationem aſſiſterent, forſan deputati non fuerint, modernus Abbas & Conventus præfati dubitant, ne judicum præſidio nudati deſuper impediantur, ſeu indebite moleſtentur tempore procedente. Quare Modernus Abbas & Conventus præfati nobis humiliter ſupplicari fecerunt, ut eis ſuper litteris oportune providere de benignitate Apoſtolica dignaremur: Nos igitur qui ſingulorum præſertim Religioſorum, in quorum proſperitate reficimur, quieti & indemnitati, prout poſſumus, libenter conſulimus hujusmodi ſupplicibus inclinati diſcretioni veſtræ per præſentes committimus & mandamus, qualiter vos vel duo aut unus veſtrum per vos vel alium ſeu alios moderno & pro tempore exiſtenti Abbati & Conventui præfatis, in præmiſſis efficacis defenſionis præſidio aſſiſtentes faciatis auctoritate noſtra unionem, conceſſionem & indultum ac litteras hujusmodi firmiter obſervari: ac eosdem Abbatem & Conventum illis pacificè gaudere: Non permittentes eos deſuper per quoscunque quavis auctoritate fungenres quomodolibet indebite moleſtari: Contradictores quoslibet & rebelles cujuscunque dignitatis, ſtatus, gradus, ordinis vel conditionis exiſtentes per cenſuras eccleſiaſticas & alia juris remedia appellatione poſtpoſita compeſcendo: Et nihilominus legitimis ſuper his ſervatis proceſſibus, cenſuras per vos pro tempore latas, contra eos, quos illas vobis incurriſſe conſtiterit, quoties opus fuerit iteratis vicibus aggravare curetis: ac loca, ad quæ eos declinare contigerit, ſeu in quibus ſcienter ſtare permiſſi fuerint, eccleſiaſtico interdicto ſupponatis, & alia in præmiſſis & circa ea faciatis, quæ neceſſaria fuerint, ſeu quomodolibet oportuna, invocato ad hoc, ſi opus fuerit, auxilio brachii ſæcularis: Non obſtante felicis recordationis Bonifacii Papæ VIII. Prædeceſſoris noſtri de una & de duabus dictis in Concilio generali edita, & quibusvis aliis conſtitutionibus & ordinationibus Apoſtolicis, nec non omnibus illis quæ in dictis litteris conceſſum fuit non obſtare, cæterisque contrariis quibuscunque. Datum Romæ apud Sanctum Petrum ſub Annulo Piſcatoris Die XXVI. Junii M. D. XV. Pontificatus noſtri anno Tertio.

L.S.

Litt. X.

Confirmatio omnium Privilegiorum facta Monaſterio Seligenſtadienſi ab Innocentio VIII.

INNOCENTIUS Epiſcopus, Servus ſervorum Dei Dilectis Filiis Abbati & Conventui Monaſterii in Oppido Selgenſtadt Ordinis Sancti Benedicti Maguntinenſis Diœceſis ſalutem & Apoſtolicam benedictionem. Cum à nobis quod juſtum eſt & honeſtum, tam vigor æquitatis, quàm ordo exigit rationis, ut id per ſolicitudinem officii noſtri ad debitum perducatur effectum: Ea propter, Dilecti in Domino Filii, veſtris juſtis poſtulationibus grato concurrentes aſſenſu, Perſonas Veſtras & locum, in quo divino eſtis obſequio mancipati, cum omnibus bonis, quæ impræſentiarum rationabiliter poſſidetis, aut in futurum juſtis modis præſtante Domino poteritis adipiſci, ſub beati Petri protectione ſuſcipimus, atque veſtra, omnes quoque libertates & immunitates à Prædeceſſoribus noſtris Romanis Pontificibus ſive per Privilegia & alia indulta vobis &

Monaſterio Veſtro conceſſas, nec non libertates & exemptiones ſecularium exactionum à Regibus & Principibus ac aliis Chriſti fidelibus Vobis & eidem Monaſterio rationabiliter indultas, ſpecialiter autem Decimas, Primitias, oblationes, cenſus, fructus, Redditus, poſſeſſiones, Agros, Prata, Paſcua, nemora, ſilvas, caſalia, Gangrias, molendina, aquas, aquarum decurſus, ſtagna, lacus, piſcarias, jura, jurisdictiones & alia bona ad Monaſterium prædictum ſpectantia, nec non omnia & ſingula, Parochiales Eccleſias, Capellas & alia beneficia Eccleſiaſtica, quæ eidem Monaſterio annexa ſeu incorporata, ſive vos in uſus proprios obtinere aſſeritis, ſicuti ea omnia juſtè & pacificè poſſidetis, Vobis & per Vos eidem Monaſterio auctoritate Apoſtolicâ confirmamus, & præſentis ſcripti Patrocinio communimus, ſalvâ in prædictis decimis moderatione Concilii Generalis. Nulli ergò omninò hominum liceat hanc paginam noſtræ ſuſceptionis, Confirmationis & Communitionis infringere, vel ei auſu temerario contraire. Si quis autem hoc attemptare præſumpſerit indignationem omnipotentis Dei ac beatorum Petri & Pauli Apoſtolorum ejus, ſe noverit incurſurum. Datum Romæ apud Sanctum Petrum Anno Incarnationis Dominicæ Milleſimo Quadringenteſimo primo, ſecundâ Januarii, Pontificatus noſtri anno octavo.

L.S.

Litt. Y.

Confirmatio Privilegiorum facta ab Henrico III. Cæſare Monaſterio Seligenſtadienſi.

IN NOMINE Sanctæ & individuæ TRINITATIS.

HENRICUS divinâ gratiâ & Clementiâ Rex. Nos, qui antiquorum inſignia Regum, *DEO* jubente, geſtamus, egregia eorum merita in ſanctas Dei Eccleſias ex præceptis ſeu Præceptorum confirmativis frequenter agnoſcimus, ea quippe à Venerabilibus Viris, videlicet Epiſcopis, Abbatibus, ejusdem cauſa negotii in noſtram collecta Præſentiam renovare decet. *NOS* dico, quibus Divinâ inſpirante gratiâ, id animi atque fidei ſedet, ut & ad mortalem vitam temporaliter tranſigendam, & ad æternam feliciter obtinendam non parum proſit, ſi Eccleſiis *DEI* infrà noſtri contiguum Regni conſtitutis de noſtro, quibus beneficia non confetimus, pridem tradita devotè confirmemus. Igitur noverit ſagacitas omnium fidelium Sanctæ *DEI* Eccleſiæ, ſcilicet & noſtrorum jam præſentium quàm & futurorum. Quia Vir Venerabilis *OTTO* Abbas ex Monaſterio Sanctorum Martyrum Marcellini & Petri, conſtructo in vocabulo *Mülheim*, nunc verò *Seligenſtatt* dicto, noſtram adiit Imperialem Clementiam deprecans, ut immunitatem rerum & familiæ, quam noſtri Anteceſſores & anteriores Reges videlicet & Imperatores prædicto Sancto Monaſterio pro divinæ contemplationis intuitu delegaverunt, ſuaque Authoritate præſcripti confirmaverunt, hanc dignaremur nos renovare, noſtrisque ſtabiliendo ſcriptis confirmare, cujus petitioni propter amorem *DEI* & Reverentiam ipſorum Sanctorum Martyrum, nec non Angelis Reginæ noſtræ .... dilectæ interventu nobis, aſſenſum præbere & hoc noſtræ Auctoritatis præceptum fieri libuit, per quod præcipimus atque jubemus; ut nemo fidelium noſtrorum vel quilibet Comes, aut Exactor judiciariæ poteſtatis, in Eccleſias aut loca vel agros, ſeu reliquas Poſſeſſiones, quas ob divinum amorem eisdem Sanctis Martyribus Marcellino & *PETRO* devoto conſtat eſſe traditas atque collatas animo, ſive ea, quæ in quibuslibet pagis, vel Territoriis infrà ditionem Imperii noſtri, juſtè & legaliter illuc tradita ſunt, nec non & illa, quæ deinceps in jus & dominium ipſorum Chriſti Martyrum divina Pietas augeri voluerit, placida habenda, cauſas audiendas, ſeu freda vel tributa exigenda, manſiones vel paradas faciendas, aut fidejuſſiones tollendas, ſeu paranareda exigenda, ſive homines ipſius ſancti loci tam ingenuos, quàm ſervos ſuper terram ipſius commanentes, injuſtè diſtringendos, nec ullas redhibitiones aut illicitas occaſiones requirendas, noſtris & futuris, tempo-

temporibus ingredi audeat, vel ea quæ ſuprà ſcripta ſunt, penitus exigere præſumat; ſed liceat memorato Venerabili Abbati, ſuisque Succeſſoribus ſub noſtrâ defenſione & Confirmationis Auctoritate illum Sanctum locum quieto ordine poſſidere, regere & ordinare, atque diſponere, conceſſum etiam conſtitutum in eodem loco publicum mercatum, nec non monetam, vel quidquid utilitatis inde venire, aut accreſcere poterit, in integrum præſcripta atque libenti voluntate perpetualiter illi loco ſancto tradimus atque confirmamus, quatenùs ipſos Martyres propitios æternæ vitæ interceſſores apud juſtum judicem habere mereamur, & ut hæc noſtræ traditionis et Confirmationis Authoritas ſtabilis et inconvulſa omnium ævo permaneat, hanc chartam indè conſcriptam manu propriâ, ut infrà videri poterit, corroborantes, ſigilli noſtri impreſſione ſigniri juſſimus. Datum ſeptimo Calendis Decembris Anno Dominitæ Incarnationis Milleſimo Quadrageſimo quinto, Indictione decimâ tertiâ, Anno autem ordinationis Domini Henrici III. decimo ſeptimo. Actis Spiræ.

L.S.

THEODORICUS CANCELLARIUS Vice Borrdonis Archi-Cancellarii *recognovi.*

Litt. Z.

Sententia Reviſionis pro Monaſterio Seligenſtadienſi contra Cives ejusdem Oppidi vvegen des Vorſtvvalds.

IN *Reviſions*-Sachen Herren Prælaten und Convents des Cloſters Seligenſtadt *Impetranten* an einem entgegen Fauth, Rent-Baumeiſter und Rath daſelbſten *Impetraten* am andern Theil, vvird allem Vor- und Anbringen nach zu recht erkandt, das *Erſtens* ermeldte *Impetraten* den Förſter in dem alſo genandten Selgenſtädter Forſt allein, und ohne Zuthun der *Impetraten* anzunehmen befugt, derſelb angenommene Förſter aber ſo vvohl Ihro Chur-Fürſtl. Gnaden als einem Zeitlichen Prælaten und Convent, und nicht dem *Impetraten*, jedoch in Beyſein einiger von daſigen Schöpffen den Förſter-Ayd abzulegen ſchuldig: daſs *Zvveytens* mehr ermeldte *Impetranten* Bau- und Brenn-Holtz ohne *Requiſition* der Stadt, nach des Cloſters Nothdurfft aus gedachtem Forſt abzuholen ebenermaſſen befugt, jedoch daſs darinn kein Ubermaſs gebraucht, und vvann desfalls einiger *Exceſs* vorgehen ſolte, daſs ſolcher bey höchſtgedacht. Ihro Chur-Fürſtl. Gnaden, und nicht bey daſigem Rath ausfindig zu machen ſeye. Daſs *Drittens* vvann ein oder ander von daſigem Rath und Burgerſchafft ſich nach vorgangener beederſeitigen Erkandtnus mit Bau- oder Brenn-Holtz aus gemeldtem Forſt verſehen vvolte, dieſelbe bey offt ervvehnten *Impetranten* darum der Gebühr anzuſuchen, und in Summa ſo vvohl ſie die *Impetranten* als *Impetraten* denen in *Annis* 1339. 1491. und 1528. uffgerichten Entſchiedt- und Verordnungen in allen und jeden Puncten zugeleben ſchuldig, und in ſo vveit vorigen *Inſtantien* Urtheile zu *con-* und zu *reformiren* ſeyen; Wie Wir zu dieſem Chur-Fürſtl. Mayntz. *Reviſions*-Gericht verordnete *Director* und Räthe hiemit *reſpective* befuget und ſchuldig erkennen, auch *con-* und *reformiren*, die Gerichts-Koſten allenthalben uffgeloffen aus bevvegenden Urſachen gegen einander *Compenſirend* und vergleichend; Im übrigen ſo viel den Seelgenſtatter Forſt verübten Schaden betrifft, falls die *Impetranten* ſie die *Impetraten* desfalls Spruch und Forderung nicht erlaſſen vvolten, ſo vvird denenſelben ſolche Puncten beſſer auszuführen hiermit vorbehalten; *Publicat. in judicio Reviſorio*, Mayntz den dreyzehenden *Junii*: *Anno* 1703.

L.S.

Johann Henrich Nebell
Secretarius.

Litt.

Litt. AA.

Sententia *auff dem Hoff-Gericht* contra *Stockſtatt*, pro Monaſterio Seligenſt. in puncto glandis legendæ pro tertia parte.

WIr Lotharius Frantz, von Gottes Gnaden des Heiligen Stuhls zu Mayntz Ertz-Biſchoff, des Heiligen Römiſchen Reichs durch *Germanien* Ertz-Cantzler und Chur-Fürſt auch Biſchoff zu Bamberg, bekennen und thun kund hiermit, als ſich an Unſerem Chur-Fürſtlichen Hoff-Gericht in unſerer Stadt Mayntz, eine *Appellation*-Sach zvviſchen der ſamtlichen Gemeind zu Stockſtatt *Appellanten* eines, ſo dann *Prælaten* und Convent des Cloſters Selgenſtadt *Appellaten* andern Theils enthalten, darinn durch den Wohlgebohnen, auch Ehrſame und Hochgelahrte, Unſeren *Præſidenten* und Beyſitzere | unſers Chur-Fürſtl. Hoff-Gerichts ſamtliche Unſere liebe getreue, Dienſtag den 15ten *Februarii* dieſes 1707ten Jahrs, an damahls gehaltenem Hoff-Gericht erkennt, und ausgeſprochen vvorden, vvie folget. Sentenz: In *Appellations*-Sachen der ſamtlichen Gemeind zu Stockſtatt, *Appellanten* eines: Entgegen Prælaten und Convent des Cloſters Selgenſtatt, *Appellaten* andern Theils vvird allem Vor- und Anbringen nach zu Recht erkandt, daſs durch Richter voriger *Inſtanz* vvohl geurtheilt, übel davon *appellirt*, dahero ſothanes Urtheil zu *confirmiren* und zu beſtättigen, dergeſtalt daſs *Appellaten* zu dem einen Drittel Eckerich des *quæſtionirten* Waldes rechtlichen befugt ſeyen, als vvir Præſident und Beyſitzer dieſes Chur-Fürſtl. Hoff-Gerichts auch alſo *confirmiren* und beſtâttigen, die bey dieſer *Inſtanz* derentvvegen auffgeloffene Gerichts-Koſten aus bevvegenden Urſachen gegen einander *compenſirend* und vergleichend: ſolcher ausgeſprochenen Urtheil hat deren Appellaten Anvvald ihme gevvöhnliche Urkund mitzutheilen gebetten, die ihme auch alſo erkandt, und unter Unſeres Chur-Fürſtl. Hoff-Gerichts auffgedrucktem *Secret* mitgetheilet vvorden. Mittvvochen den zvveyten *Martii*, im Jahr ſiebenzehen hundert und ſieben.

Ex Mandato Eminentiſſimi ac Celſiſſimi Domini Dn. LOTHARII FRANCISCI Archi-Epiſcopi ac Principis Electoris Moguntini, Epiſcopi Bambergenſis.

L.S.

Joannes Jacobus Knapp, Jur. D.
Judicii Curiæ Moguntinæ Aſſeſſor.

Litt. BB.

Sententia Reviſorii contra Stockſtatt impetrata per Franciſcum Abbatem in Selgenſtatt, in puncto glandis legendæ pro tertia parte.

IN *REVISIO N*-Sachen der ſamtlichen Gemeind zu Stockſtatt *Impetranten* an einem, entgegen *Prælaten* und *Convent* des Cloſters Selgenſtadt, *Impetraten* am andern Theil, vvird allem Vor- und Anbringen nach zu Recht erkandt, daſs von Richtern voriger *Inſtantien* vvohl geurtheilt, übel davon *Reviſion* geſucht, dahero ſolche Urtheile zu *confirmiren* und zu beſtättigen ſeyen, Wir zu dieſem Chur-Fürſtlichen Mayntziſchen *Reviſions*-Gericht verordnete *Director* und Râthe hiemit *confirmiren* und beſtättigen, ſie die *Impetranten* in die bey dieſem *Reviſions*-Gericht auffgeloffene Koſten

ſten mit Vorbehalt richtlicher *Moderation* fällig urtheilende, *Publ. in Judicio Reviſorio.* Mayntz den 7ten *Martii*, *Anno* 1708.

L.S.

Johann Heinrich Nebell
Secretarius.

Litt. CC.

Litteræ Confirmationis Reverendiſſimi Domini Alberti Archiepiſcopi Moguntini ſuper incorporatione Eccleſiæ in minori Crotenberg & trium altarium in Seligenſtadt.

ALBERTUS miſeratione Divinâ Sacroſanctæ Romanæ Eccleſiæ Tituli Divi Chryſogoni Presbyter Cardinalis, Sanctarum Moguntinæ ſedis & Magdeburgenſis Eccleſiæ Archiepiſcopus, et S. R. I. in Germaniâ Archicancellarius, Princeps Elector, Adminiſtrator Halberſtad. Marchio Brandenburgenſis, Stettinenſis, Pomeraniæ, Caſſuborum, Sclavorumque Dux, Burgravius Nuremburgenſis, ac Rugæ Princeps. Univerſis et ſingulis Chriſti fidelibus præſentes Litteras viſuris, pariter et audituris, ſalutem in Domino ſempiternam. Religionis zelus, quo ergà Regulares in humilitatis Spiritu Deo militantes afficimur, nos inducit, ut ea, quæ ad divini cultus obſervantiam et Religioſorum profectum ritè ordinata et conceſſa dignoſcuntur, Auctoritatis noſtræ ordinariæ præſidio corroboremus. Cum itaque, ſicut accepimus, Eccleſia parochialis S. Nicolai de minori villâ Crotzenberg, nec non ſupraſcripta tria beneficia Eccleſiaſtica ſimplicia. Videlicet unum ad SS. Cosmæ et Damiani, et aliud S. Lamperti, ac reliquum ad B. M. V. altaria ſita in Eccleſia Monaſterii Sanctorum Marcellini et Petri Ord. S. Benedicti in Oppido Selgenſtadt noſtræ Moguntinenſis Diœces. eidem Monaſterio et Conventui in Selgenſtadt, per Sanctiſſimum in Chriſto Patrem et Dominum D. LEONEM divinâ providentiâ Papam Decimum, unita et incorporata ſint et exiſtant. Juxtà nimirum formam et tenorem Litterarum Apoſtolicarum deſuper confectarum, quas pro inſertis amplectimur. Nos eandem incorporationem ex cauſis animum noſtrum ad hoc moventibus, et coram nobis deductis, ratam et gratam habentes, Auctoritate noſtrâ Ordinariâ admittimus, laudamus & approbamus Dei Nomine per præſentes. Noſtris tamen & Succeſſorum noſtrorum Archiepiſcoporum Moguntinenſium Juribus Ordinariis ſemper ſalvis. In quorum fidem & teſtimonium præmiſſorum ſigillum noſtrum præſentibus eſt appenſum. Datum Aſchaffenburg die Lunæ nonâ menſis Maji, Anno à Nativitate Domini Milleſimo Quingenteſimo, decimo nono. Cardinalatus primo, Pontificatus penes utrasque Metropolicas quinto, Ætatis verò noſtræ viceſimo nono Annis.

ALBMM

L.S.

manu propriâ ſubſcr.

Litt. DD.

Litteræ Innocentii Papæ, quibus Godefrido Abbati Seligenſtadienſi conceſſus uſus mitræ, pro ſe & Succeſſoribus.

INNOCENTIUS Epiſcopus, ſervus ſervorum Dei, Dilecto Filio Godefrido Seligenſtadienſi Abbati ſalutem & Apoſtolicam benedictionem. Eos, qui in Eccleſiâ Dei majorem locum pro meritis ſuis obtinere noſcuntur, & Romanæ Eccleſiæ devotiores exiſtunt, decet nos in ſuis petitionibus facilius exaudire & ſpeciali gratiâ decorare. Quocircà & teſtimonio, quod de te accepimus, & Venerabilis Fratris noſtri Sigefridi Epiſcopi Moguntini precibus inclinati, Tibi & Succeſſoribus tuis uſum

Mitræ de consuetâ sedis Apostolicæ clementiâ indulgemus. Dat. Romæ XVI. Kalend. Junii.

L.S.

Litt. EE.

Bulla Pii II. super esu carnium, usu vestimentorum & Lectisterniorum Anno 1458. *Monasterio Seligenstadiano concessa.*

PIUS EPISCOPUS, Servus Servorum Dei, Dilectis Filiis Abbati & Conventui Monasterii Sanctorum Petri & Marcellini in Selginstadt Ord. Sancti Benedicti Maguntin. Diœcesis salutem & Apostolicam Benedictionem. Sacræ Religionis, sub quâ devotum & sedulum exhibetis Altissimo famulatum, promeretur honestas, ut vestris humilibus votis, quantum cum Deo possumus, favorabiliter annuamus. Cum itaque sicut exhibita nobis nuper pro parte vestrâ petitio continebat præfatum Monasterium vestrum in regione frigidâ, ac admodum populoso loco, ubi copia, piscium sine gravissimis expensis haberi non potest, consistere dignoscatur, & propter carentiam piscium hujusmodi, & non esum carnium, Monachi ibidem degentes sub regulari observantiâ, diversis prægraventur infirmitatibus, & pauci Monasterium ipsum metu dictarum infirmitatum ingrediantur, & licet â tanto tempore citra cujus contrarii memoria hominum non existit, tam vos, quàm antecessores vestri, in refectorio & alibi carnibus, sicut sæculares dici vesci, & linteis vestibus uti consueveritis, & utamini de præsenti. Nihilominus quia per felicis recordationis Innocentii III. & Benedicti XII. prædecessorum nostrorum constitutiones esus carnium, & usus lintearum vestium vobis est interdictus, conscientiâ moti dubitatis hujusmodi carnibus vesci non posse, nisi hoc vobis per sedem Apostolicam concedatur. Quare pro parte vestrâ nobis humiliter fuit supplicatum, ut vobis, quod saltem singulis diebus Dominicis, & bis in quâlibet hebdomadâ carnibus vesci, ac his & aliis diebus vestimentis linteis & lectisterniis valeatis uti, concedere, aliasque in præmissis vobis opportunè providere de benignitate Apostolicâ dignaremur.

Nos igitur hujusmodi Supplicationibus inclinati, tibi Abbati, & Successoribus tuis pro tempore existentibus dicti Monasterii Abbatibus, quorum super hæc conscientiam oneramus & Monachis in dicto Monasterio præsentibus & futuris de ipsorum Abbatum licentiâ & Confessoris consilio ducti, in refectorio, seu infirmariâ aut alias loco honesto singulis diebus dominicis, & bis duntaxat in quâlibet hebdomadâ carnibus vesci, ac his & aliis diebus vestimentis lineis, & lectisterniis uti, liberè ac licitè valeatis, ac Successores uti perpetuò valeant, prædictorum Innocentii & Benedicti etiamsi de illis ac earum totis tenoribus specialis et expressa mentio præsentibus habenda foret, et aliis Constitutionibus et ordinationibus Apostolicis, nec non statutis et consuetudinibus Monasterii et Ordinis prædictorum juramento confirmatione Apostolicâ vel quavis aliâ firmitate roboratis, cæterisque contrariis nequaquam obstantibus, auctoritate Apostolicâ tenore præsentium de specialis dono gratiæ indulgemus. Nulli ergò hominum liceat, hanc paginam nostræ concessionis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem Omnipotentis Dei et beatorum Petri et Pauli Apostolorum ejus se noverit incursurum. Datum Romæ apud sanctum Petrum Anno Incarnationis Dominicæ Millesimo quadringentesimo quinquagesimo octavo, quarto Nonas Januarii, Pontificatus nostri anno primo.

L.S.

BREVIS
REGALIS ABBATIÆ SELIGENSTADIENSIS
HISTORIA,
dedicata & consecrata
Viro Famâ super æthera noto,

BEATO EGINHARDO;

PRIMO IN ERPACH DYNASTÆ, ET COMITI;
GERMANIÆ SIDERI,
MOGUNTINÆ PATRIÆ ATLANTI;
Primùm
CAROLI MAGNI
IMPERATORIS
: In morum, artiumq; culturâ
MAGISTRO SAPIENTISSIMO;
Posteà
ILLUSTRISSIMO
ARCHICANCELLARIO,
AUGUSTÆ, CÆSARIS FILIÆ, IMMÆ
CONJUGI;
necnon
LUDOVICI PII
REGIS ET CÆSARIS
CONSILIARIO INTIMO:
&
Tandem relictâ Aulâ, spretaque Mundi pompâ,
Asceterii Seligenstadiensis
PRIMO ELECTO
ABBATI.
ORATORI, HISTORICO, PHILOSOPHO,
THEOLOGO, PHILOLOGO,
Græcis & Latinis scriptis
Toti Litterario Orbi notissimo;
AMPLISSIMO JURISPRUDENTIÆ THEATRO,
IN SYNODIS HÆRETICORUM MALLEO,

 FIDEI,

FIDEI, RELIGIONIS, CÆTERARUMQUE VIRTUTUM,
PROTOTYPO;
ANTIQUITATUM PROMOCONDO,
THEOLOGO CONSUMMATO,
PHILOSOPHO PROFUNDO,
ARCHITECTONICÆ ARTIS PERITISSIMO,
&
REGIORUM ÆDIFICIORUM PRÆFECTO:
in
Moralibus disciplinis sui ævi
SENECÆ;
in
Jurisprudentiâ
BARTHOLO & BALDO;
in
Linguarum Varietate
MITHRIDATI;
in
Perorando
REDIVIVO CICERONI;
in
Poësi
NOVO MARONI;
VIRO CÆLITUS LAPSO,
In omnibus
MAXIMO,
ADMIRABILI, & INIMITABILI.

â
F. JOANNE WEINCKENS,
Abbatiæ Seligenstadiensis
Professo Ascetâ.

BREVIS

BREVIS HISTORIA, REGALIS ABBATIÆ SELIGENSTADIENSIS.

* * *

APage! cum antiquâ illâ Hebrææ gentis Paroemiâ: *Urbs Jeruſalem beata.* Veriùs mecum dixeris: novam non in Judæâ, ſed Germaniâ, à DEO ſuſcitatam eſſe, *Urbem beatam;* Non miniùs in Moguntinæ Patriæ Ornamentum, quàm æviternum *Aniciæ Gentis* monumentum & munimentum. Angularem *Beatæ* hujus *Urbis* Lapidem primum poſuit, Magnus ille magni CAROLI Cancellarius, EGINHARDUS: Quem Mabillon *tom.* 3. *Annal. Benedictin.* c. 3. pag. 572. num. marg. XXXVII. vocat *Regalium ædificiorum præfectum,* quod ædificârit ſtupendæ illud magnitudinis *S. Galli Monaſterium,* quod ob monſtroſam ædificiorum magnitudinem & pluralitatem, *Civitatem* antiqui dixerunt *Monaſticam.* Facilè à tam ſapientis *Architecti* manu, perfectam totius ædificii metiri poteris Symetriam. Structuræ locus, in Archidiœceſis Moguntinæ meditullio (*Medium* enim *ſemper tenuêre beati*) deſignatus: Ubi *Regio* à quatuor Orbis oris, *ut octo beata;* quia ad amœna Mœni Litora, in planitie jucundiſſimâ, & fundo feraciſſimo ſita, à Francofurto quinque leucis diſſita, & ab Imperatoribus non paucis ſæpiùs viſitata, & inhabitata. Jactis *Civitatis Beatæ* Fundamentis, LUDOVICUS PIUS, CÆSAR AUGUSTUS, unà cum Auguſtâ Conjuge, EINHARDUM ſuccollat: dum novos *Urbis Beatæ* Cives & Incolas, *Regalibus* exornat *Privilegiis,* variis Mœni ditat Teloniis, ditat Oppidis & Villis, Manſis donat & Mancipiis. Nè iniquior tamen Fortuna, *Beatam* evertat & pervertat fors *Civitatem;* ad eam EINHARDUS per ſuos, Româ transferri curat prodigioſos, & verè Miraculis prodigos Thavmaturgos, SS. Martyres PETRUM & MARCELLINUM, quos ceu perpetuos ei PATRONOS conſtituit; Quorum ſacris ab Exuviis tot ſtatim, ac tantæ Miraculorum in Urbem ac Orbem univerſum dimanârunt gratiæ, ut non *Obermülheim* (ut veteres dixêre Coloni) ſed jam novo Nomine & Omine, paſſim *Seeligen-Stadt*, Germanicè; URBS BEATA, Latinè; *Macariopolis*, vocaretur Græcè: Undè inanis quorundam difflatur fabula, qui *Civitatis Beatæ* derivant Nomen à Salagaſto, *Legis Salicæ* quondam Conditore, hic ſepulto. Hæc prima naſcentis hujus *Civitatis Beatæ* fuêre initia, verè *ter beata,* EGINHARDO fundante ſeu *plantante*, LUDOVICO PIO dotante & *rigante* DEO *incrementum dante.* Sed fruſtrà vigilat, qui *Civitatem* cuſtodit, niſi Dominus cuſtodierit eam: Hinc EGIN-

HARDUS, mox non Hoſpites & Advenas, ſed verè Domeſticos Fidei, & *Cives Sanctorum*, de Sacra Divi BENEDICTI introduxit Familiâ; Qui pro *Civitate* DEI, ceu veri Cuſtodes, noctuque diuque in Hymnis excubarent & canticis: Et nè unquàm, aureo hoc Religioſæ Vetuſtatis ævo, recens fundata Regularis Obſervantia ruinæ immineret, Nobiles undique de omni Terrâ Lapides, & Cæli Adamantes collegit huic *Civitati* inſerendos, omni Virtute & ſplendore in ſeram poſteritatem perennaturos. Quibus ipſe ſeſe poſteà aſſociat EINHARDUS; mortua namque Conjuge IMMA, CAROLI MAGNI Filiâ, Aulæ faſtum faſtidiens, Cæleſti magis quàm terreſtri ſervire exoptans Regi, abjecto Purpureo Ducis Paludamento, atratus Nigrorum Monachorum factus Candidatus, devotè tria Religionis Vota DEO, in Odeo obtulit, non contentus ſua dediſſe, niſi & ſeipſum totum daret. *Primus* dein ab Acephalo Capitulo electus in *Urbe Beatâ* eſt *Abbas:* Quo ità ſe geſſit in Munere, ut Religioni in Palatium, Scientiæ in Palladium, Fidei in Propugnaculum, Virtuti in Spectaculum, Alemaniæ toti ceſſerit in Miraculum. *Sapientis* nomen obtinuit, cum *Seligenſtadio* ad Moguntinenſe vocatus & citatus Concilium, Odeſchalcum Presbyterum Hæreticum, ità oppreſſit, ut nec hiſcere ſit auſus. Tandem quot laboribus, tot meritis defunctus, ex *Urbe Beatâ* terreſtri, ad cæleſtia ſupernæ Jeruſalem ſuburbia translatus, immortali apud ſeram poſteritatem etiamnum vivit memoriâ. Virum hunc ego *Beatum* non auſus fuiſſem in Frontiſpicio dicere, niſi hunc ut *Sanctum*, Fontanellenſes noſtri (teſte Mabillon *loc. cit.*) 20. Februarii vetuſto ſuo Breviario inſeruiſſent. Cæterùm Græcè & Latinè ſcriptis fuit celebratiſſimus, nam ſcripſit

Libros quatuor de translatione SS. Martyrum MARCELLINI & PETRI.

Vitam Caroli Magni.

Lib. I. de adorandâ Cruce, quem dedicavit Lupo Epiſcopo.

Librum variarum Epiſtolarum ad diverſos.

Lib. II. de Gabriele Archangelo.

Martyrum SS. MM. Marcellini & Petri metris jambicis conſcriptum. Vide Surium 2. Junii.

Pſalterium Gallicanum abbreviatum, in quo Bedam imitatus excerpſit omnes verſus, Orationis Verba habentes.

Lib. I. de Geſtis Germanorum & Francorum.

EGINHARDO FUNDATORI & PRIMO ABBATI *Seligenſtadienſi* ſuccedit Vir Illuſtri Stemmate, ſed Virtute & Scientiæ Doctrina multo Illuſtrior, in Auguſta Ubiorum Metropoli, Colonia Agrippina natus, RATHLAICUS, inſigni Cenotaphio à famoſo Fuldenſi RHABANO honoratus. Hoc è vivis ſublato (uti in arbore, *uno ramo avulſo non deficit alter*) ſic longâ ſequuntur ſerie Viri, uti Genere, ita Virtute ſpectatiſſimi: SYBOLDUS, BURCHARDUS, JOAN-

JOANNES, OTTO, BERINGERUS, &c. Quorum nullus altero minor, quia omnes ſcientiâ, Diſciplinâ & Virtute maximi: ita namque *Civitatis Beatæ* tractârunt Faſces, ut vel ſingula ſingulorum nomina, ſingularis Panegyris copioſa poſſint eſſe materia & laudum volumina; ſed innumera eorum non enumero merita, quia DEUS jam illa numerat, & remunerat in Patria. OTTONE II. ad clavum ſedente, cum jam paſſim apud Benedictos BENEDICTI Filios, rigoroſum INCLUSORUM refloreſceret inſtitutum, vix illud alibi feliciùs, quàm in *Civitate Beatâ* effloruit. Quidam enim Aſceta, CLARUS nomine, cùm eſſet vitæ puritate clarior, imò virtute clariſſimus, magis tamen latere quàm patere voluit: eò cælo propior, quò à Terra remotior; tantò illuſtrior, quò occultior. Hic cùm arctiùs virtutis ſuæ radios brevi cellulâ per triginta ferè annos recluderet, neque ſiceram, neque Vinum bibens, ob Angelicos mores Prophetiæ Spiritu à DEO donatus fuit, tantò major in oculis DEI, quantò minor in ſuis. Denique Angelo ſimilis, & penè verſus in Spiritum, eò ivit, ubi Spiritus immortales habitant. Cui cæleſtes Genii, cum ex anguſta cella ad auguſta Cæli Palatia Via recluderetur, in tanta Virtutum Harmonia ſuaviter exſpiranti, accinere ſunt auditi: adeò, ut *Seligenſtadium*, tum verè foret *Statio Beatorum*, quia ibi vernabat Studium Sanctorum. Crevit exindè Fortuna, cum Pietate multorum liberali manu copioſiùs aucta: Florente namque Regulari Obſervantia, tanta quoque rerum omnium erat abundantia, ut nihil omninò, timentibus DEUM deeſſet. Unde apertè patet, quàm ſit diſpar ſors & Fortuna, DEO aut induſtriè, aut negligenter ſervientium. Quærentibus enim ante omnia Regnum DEI, cætera omnia plena cornucopia affuta ſunt. Sed fluxa & caduca Mortalium, imò talium Fortuna! cum maximè ſplendet, frangitur: quia eſt vitrea: & ſicut Luna, ita Fortuna, quæ vix ut plena eſt, decreſcit. Hunnis enim totam ferè Germaniam devaſtantibus, mali univerſalis Flamma & noſtri Aſceterii Baſilicam corripit, eamque cum aliis pretioſis, Vulcano obtulit: Cujus triſtia rudera, ſeculum ultrà integrum non redintegrata, ſed diruta manſêre: ſicque Cœnobium triſti incendio hauſtum corruit, & præclara tot ætatum acta inter ruinas ac cineres ſepulta fuêre. Donec tandem Synodo in *Civitate Beatâ* ceu *Civitate Litterarum* (Judic. I. v. II.) habita, *Urbs beata* ſeipſa formoſior, ex cineribus ſuis, ut Phœnix, revixit. Licet enim Aſceterium noſtrum aliquas ſubindè infortunii paſſum ſit umbras: tamen ut ſpeculum, ita Monaſterium etiam contractum & combuſtum ſplenduit & ſæpius luxit, à tot Nobiliſſimis Archimandritis reſtitutum. Diſcuſſis namque ad feliciſſimum GODEFRIDI I. *Abbatis* ortum, tenebris rediit poſt nubila Phœbus; avito Gloriæ ſplendore ferventius emicante, & in omnem orbem diffuſo. Nam GODEFRIDUS poſt Cœnobium quaſi ex fundamentis noviter condi-

conditum, iterum meridiem, & Religio cum fortunis Augem tenuit. Ceu nobile namque ſidus, talia in Abbatiali ſolio emittebat Virtutum Lumina, ut Moguntinum non tantùm Orbem, ſed & Romanam illuſtraret Urbem. Quibus permotus Pontifex, perpetuum illi & Succeſſoribus, Infulæ uſum motu impertiit proprio. Hoc defuncto, Mitrâ decoratur vir proſapiâ illuſtris GEBENO, qui ob illuſtriora vitæ Exempla, licet invitus, ſecunda perilluſtris Eccleſiæ ad S. Albanum Moguntiæ Mitrâ, non tam ornatus, quàm oneratus fuit. Aurea exinde Monaſterio noſtro fluxerunt ſecula, dum à ſeculi Principibus nulli auro videbantur digniores, quam qui contemnerent. Virtus enim, Magnatum Magnes, paſſim trahebat Principes: Qui, ne Religio Pauperum eſſet indiga, eandem liberali manu magnificè locupletabant. Hinc creſcente cum meritis Fortunâ, STARKARDUS hujus nominis II. fundavit Vicariam in Æde Metropolitanâ Moguntinâ, cujus collatio perpetuò ſpectat ad *Abbatem Seligenſtadienſem*. Hunc Ordine ſecuti ſunt ARNOLDI, HERMANNI, WALPERTI, THEODORICI, WINTHERI, PETRI, GUNTRAMI, FOLMARI, &c. Quot Nomina, tot magna magnorum Præſulum elogia: Omnes uti ſtirpe nobiles, ita vitæ ſanctitate laudabiles: Lumina Ordinis lucidiſſima, *Civitatis Beatæ* columnæ, & columina ſolidiſſima: Lumina, in decus; Columnæ, in præſidium; Columina, in auxilium; Quibus hactenus *Urbs Beata*, inter tot novercantis Fortunæ flatus & aſſultus, ſemper ſtetit immota. Tot ac tantis Abbatiæ noſtræ Atlantibus, ad Cælum è Terra avocatis, ſuccedit CUNO *de Beldersheim*: hic qualis, quantus vè fuerit *Præſul*, facta & acta ejus, cedro & Cælo digna facilius, quàm aliena expriment Verba. Hujus Succeſſor REINHARDUS *à Mosbach*, uti notiſſimâ ita & nobiliſſimâ Equeſtri Familiâ oriundus. Immenſam illius gloriæ meſſem ex hoc brevi manipulo collige, & ex Nuce Iliadem lege. Hic advertens Monaſteria in Temporalibus peſſimè gubernari, ſi negligantur ſpiritualia: adhortante DIETHERO ELECTORE Moguntino, Religiolæ Obſervantiæ amore illectus, ſe ſuosque *Reformationi* ſubjecit *Burſfeldenſi:* ut ſic ad Regulam mores ſuorum regularet, & illapſos in diſciplinam Errores corrigeret: ne fors Religioſi Nobiles, ob ignobiles mores, malè & minùs audirent Nobiles. Hic ergò ceu primus novæ Reformationis Architectus ſeverioris Diſciplinæ ſcalpro Angulares *Civitatis Beatæ* lapides expolivit. Quam quoque Reformationem, digniſſimus ejus Succeſſor JOANNES *à Colnhauſen* (ſciens Leges BENEDICTI Monachis æquè, ac Spartanis pro muris eſſe) ſtrenuè promovit cum *Prælatis* ſuccedaneis: THOMA, MARCELLINO, GEORGIO, HUGONE, IGNATIO, PAULO, PHILIPPO, Quorum omnium decumanis meritis velle adornare Panegyrim, eſſet ſplendorem radiis, radios Luci, Lucem ſoli affundere. His omnibus viam univerſæ carnis ingreſ-

ingreſſis, Mitra oblata & data fuit MARTINO, Viro magnorum moliminum, qui ceu *Cicero* ſemper ſtetit *pro Domo* DEI, acerrimus non tantum Jurium propugnator, ſed & Diſciplinæ Zelator, hinc in Virtutum quadro omnia quadravit, & ad rigidioris Obſervantiæ amuſſim regulavit, dum veterem Monaſticen nonnihil collapſam reſtituit. Qui tamen cum Mortalia hæc deſeruiſſet, revixit in LEONARDO COLCHON, Viro litteratiſſimo. Eximius hic SS. Theologiæ Licentiatus, ex publico *Benedictini Seminarii Coloniæ Regente*, & *Theologiæ* in Univerſitate Colonienſi *Profeſſore*, Lector, Prior, & tandem ABBAS electus fuit; Vir, etſi multarum Linguarum (Hebraicæ, Græcæ, Latinæ, Francicæ, &c.) peritus, nunquàm tamen bilinguis fuit inventus: Ob quod & ALEXANDRO VII. PONTIFICI gratiſſimus & familiariſſimus. Verùm ut in Humanis tam altum & firmum nihil, quod non ſubſidat; ita & in *Urbe Beatâ* humanum quid accidit; & Fortunæ Rota in altis plerumque volubilis & lubrica, ad decliviora devoluta fuit. Hinc in Cataclysmo Suedicæ devaſtationis Leodii exulare coactus, etiam è longinquo, ut LEO, pro Domo DEI excubans, bonum ubique vitæ odorem, ceu NARDUS reliquit: Per Quinquennium *Urbs Beata* deſolata, hunc ingemuit, & Religioſis incolis, velut Apibus Bellonæ fumo fugatis, orbum fuit. Quis in eo Diſciplinæ Regularis fuerit zelus, indè liquet, quod eum etiam abſentem Illuſtres *Congregationis Burſfeldenſis* Patres unanimiter Confluentiæ in Principalem Unionis Sacræ elegerint PRÆSIDENTEM. Nec minor, etſi recentior, Succeſſorum fuit gloria, LEONARDI II. & NICOLAI II. Qui cum in omnibus fuerint ſemper ſecundi, hinc eorum laudibus velle quid addere, eſſet eas diminuere. His ſuccedit FRANCISCUS I. qui Coloniæ Agrippinæ natus, at in *Urbe Beatâ* Profeſſus, & in Abbatem electus, rigidiſſimus regularis Obſervantiæ Zelator, juratus Proprietatis oſor, & perpetuus Paupertatis fuit amator. Oeconomus quia ſedulus, hinc debita, ob Bellonæ tumultus, ſat multa contracta diſſolvit; Templum, ejuſque Turres renovavit; Baſilicam baſilicè renovatam ingenti ſacrorum ſupellectile auxit; Conventum & Abbatiam funditus erexit: Vir per omnia Magnus, & non tam Diſciplinæ Regularis Zelator, quàm *alter* Monaſterii *Reſtaurator* audire meritus; Verbo: utiliſſimè 21. annis præfuit & profuit. Multis demum laboribus & Podagræ doloribus exhauſtus, ut annis, ita & meritis gravis, communi Mortis lege è terris Anno 1695. abiit, & cælum adiit: immortali apud poſteros memoriâ victurus. Genuinum tamen uti Nominis ſui, ita & Virtutis Heredem, Succeſſoremq; reliquit FRANCISCUM II. Qui ex Parocho & Eccleſiaſte Steinheimenſi famoſiſſimo Abbas electus, non tantum imis, ſed & ſummis Principibus, ob melleam oris facundiam acceptus, & Orbi Litterario editis libris notiſſimus. Ob inſignem Eruditionem eum Roma elegit in *Protonotarium Apoſtolicum*; Vienna, in *Comitem Palatinum* & *Conſiliorum*

Arbitrum; Moguntia, in *Conſiliarium Eccleſiaſticum*; Univerſitas Moguntina, in *Theologiæ Doctorem* Eximium. Oeconomus verè felix, ſedulus proventuum Recuperator, ſolers Redituum Augmentator; ſtrenuus variorum ædificiorum Fundator, glorioſus multarum Litium & Controverſiarum Triumphator, perpetuus Jurium Cœnobii Defenſor. Qui, ſi ſic præeſſe & prodeſſe pergat, *Urbem Beatam*, quam lateritiam invenit, marmoream relinquet. Hinc, ut diu regat, omnium Fratrum eſt votum, ardens omnium Patrum ſuſpirium, unicum omnium bonorum & proborum eſt deſiderium. FIAT! FIAT!

ELOGIUM
MONASTERII SELIGENSTADIENSIS.

*** *** ***

Novum
Urbis Miraculum, *Civitatis* Prodigium,
eſt
SELIGENSTADIUM:
Quia non tantùm BEATORUM STADIUM, ſed &
Statio, imò Habitatio *Sanctorum*.
Felix *Civitas*,
Cui cum ſecundo amœni Mœni flumine
Fortuna quoque ad votum ſemper fluet;
Civitas
Omnibus numeris abſoluta;
Civitas firma & ſatis munita,
Quia Charitatis Bitumine unita.
Civitas ſancta, Jeruſalem nova,
Civitas DEO *dilecta*, à DEO *parata*,
&
Præparata ut *Sponſa*, quia
Purpuratis Martyribus
PETRO & MARCELLINO,
Dicata & dedicata.
Non eſt *Civitas Davidis*, aut *Solis*; nec *Civitas*
Vitæ, aut *Panis*:
Sed Summi eſt *Civitas* Numinis;
Nam DEUS in illis, olim ut Hoſpes; aſt hic eſt, ut
Municeps;
In illis Advena, perpetuus at hic eſt
Indigena.
O
Beatam verè *Civitatem*!
utpotè

In quâ continuò Laus DEI resonat,
Seraphicis Amoribus animus flagrat,
Obedientia agili pede certatim ad imperia volat.
In hac omnes sine Corpore ac Carne,
Spiritu DEI aguntur, Filii DEI:
Cœloque digniſſimi,
Et in hoc & in futuro seculo,
Non tàm visione, quàm Unione *Beati*.
Glorioſa dicta ſunt
De Te,
Civitas DEI:
Quia
Civitas Beata;
Ab EGINHARDO exstructa & fundata;
A LUDOVICO PIO Cæsare ditata & dotata;
Ab ipso GABRIELE Archangelo, speciali DEI jussu,
Hucusque tecta & protecta.
Quot eam gubernant *Mitrati Præsules,*
Pedati Præsides, Infulati Antistites:
Tot in eâ
Suspice & aspice
Lapides Angulares.
Portæ ejus nitent Margaritis,
Plateæ lapillis fulgurant pretiosis;
Hic *Jaspis* in Fide, *Carbunculus* in Charitate,
Sapphyrus in Spe,
Adamas in Constantiâ, *Chrysolithus* in Patientiâ,
Beryllus in Fortitudine, *Hyacinthus* in Humilitate.
En!
Quot Lapidum habes nomina,
Tot Virtutum tenes compendia.
Circumdata quoque est *Civitas* hæc *Beata Muris* fortissimis,
Viris scilicet *Religiosis:*
Qui totis viribus novena jam per secula,
In Muris ejus *stant* ceu vigiles *Speculatores,*
Et
Velut Centoculi Argi,
Diu, noctuque excubant:
Ne
Super muros ejus *ascendat Iniquitas,*
&
Muros dissipet.
Magna cadat *Ninive,*
Ardua superbæ *Babilonis* corruant propugnacula,

Ferrea jaceant *Spartæ* mœnia,
Ipsa desoletur *Jerosolyma*;
Protegente DEO
Semper firma stabit, sicut hactenus stetit
Civitas Beata,
ut
Firma Petra:
In
FRANCISCO II.
Solidata.
Fecundior in Francisco I.
Felicior in Francisco II.
FUNDATORI debet, quod sit Fundata,
FRANCISCO, quod sit nova.
Tot eam
Singulis namque annis majestuosis
Decorat Ædificiis,
Raris exornat structuris,
Ditat Reditibus, dotat juribus;
Ut jure merito
MACARIOPOLIS, NEAPOLIS;
SELIGENSTADIUM, NEOSTADIUM,
Vocari possit:
Quò enim *Civitas* hæc Vetustior, eò
est Venustior.
Ad summum ergò *Benedictinæ Propaginis* decus,
Ad majus *Civitatis Beatæ* incrementum,
Per infinitas plurium Annorum Myriades,
Superi faveant & foveant,
Fortunatum adeò *Præsulem*,
Glorioſum & *Gratioſum* adeò *Antistitem*;
Donec tandem,
(Post sera tamen Fata)
Civitâ Beatorum Laureâ coronandus,
Ex terrestri hac *Civitate beatâ*
Transferatur ad *Civitatem Solis*.
Ità
Unitis Cordibus & Votis
Vovent, Favent
CIVITATIS BEATÆ
Professi
Incolæ & Indigenæ.

FINIS.

LECTOR BENEVOLE,

Menda ſic emenda.

Folio.	*Linea.*	*pro*	*Lege.*
2	1	Moganæ	Mogonæ.
10	16	garas	gazas.
10	29	petiêre	potiere.
19	39	mones	mores.
22	5	Punctum deleatur	poſt *Vetuſtas.*
24	29	Seligenſtadienſi	Seligenſtadienſis.
27	—	eſt	&.
33	12	extrà	è contrà.
34	5	& terris	è terris.
39	29	Guntramnus	Guntramnus II.
48	17	jejunia	jejuna.
51	16	Nicolau	Nicolaus.
53	9	Moganorum	Mogonorum.
56	16	Moganas	Mogonas.
58	16	Viv	Vix.
59	10	Visum	Virum.
63	18	juris	vigilans.
69	8	ætheris	ætheriis.
69	18	inſtabilis	inſtabiles.
75	22	dignus eris olim	olim dignus eris.
76	23	ſubſtrictis	ſubtriſtis.
78	34	tempere	tempore.
84	31	Punctum deleatur	poſt *Apoſtolici.*
89	37	tellus exiguè	Tellus vix.
90	24	pulchri	pulchro.
96	19	Orpheus	orphus.
99	5	par	per.
100	14	patentes	petentes.
104	28	Eifiam	Eiffliam.
105	30	citca	circà.
107	3	Qualirer	qualiter.
110	37	proventum	proventuum.
112	22	canapis	canabis.
112	23	impedente	impendente.
112	28	Apoſtolicis	Apoſtolicæ.
117	46	invocaro	invocato.

ΤΕΓΛΟΣ ΒΕΝΕΔΟΤΟΥ

BSB Bayerische StaatsBibliothek
MDZ Münchener DigitalisierungsZentrum Digitale Bibliothek

Weinckens, Johannes,

Nuvarchia Seligenstadiana

Frankfurtum a. M. 1714
2 H.mon. 249
urn:nbn:de:bvb:12-bsb10940429-5
VD18 1476928X-001